6
30-F
29

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
40 1/B
46

Bibliotheca
ri Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-30-F. 30
8-16-E-29
63.I.21

Digitized by Google

Digitized by Google

DELICIAE

ERVDITORVM.

13

Digitized by Google

DELICIAE ERVDITORVM SEV VETERVM ΑΝΕΚΔΟΤΩΝ OPVSCVLORVM COLLECTANEA

IO. LAMIVS

Collegit, illuſtravit, edidit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Bibliot. Secr Coll. Rom. Soc. Iesu

FLORENTIAE. MDCCXL.

Ex Typographio PETR. CAIET. VIVIANII.

Ad Inſigne D. THOMAE AQVINATIS.

Cum Adprobatione.

Digitized by Google

AMPLISSIMO ET EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

D. BARTOLOM. CORSINIO

SICILIAE PROREGI
TOPOTERETAE ET GENERALI MILITIAE
PRAEFECTO.
PATRICIO FLORENTINO.
SISMANI PRINCIPI.
DVCI CASILIANI.
MARCHIONI THESANAE IOVAGALLI.
CASTANETOLI LAIATICI ET ORCIATICI
PRINCIPI
PONTIFICIO SOLIO ADSISTENTI.
PRIMARIO HISPANIARVM OPTIMATI.
SACRAE D. IANVARII MILITIAE EQVITI.
SERENISSIMI NEAPOLITANI REGIS
A CVBICVLO ET A SANCTIORIBVS CONSILIIS
&c. &c. &c.

IO. LAMIVS DEDICO CONSECROQVE.

SIcilia, felix illud & florentiſſimum Regnum, quod TVAE curae a Sereniſſimo utriuſque Siciliae Rege

CAROLO bene ac ſapienter commiſſum eſt, EXCELLENTISSIME PROREX, in cauſſa fuit inter alia, cur hoc *Deliciarum Eruditorum* Volumen TVVM potiſſimum patrocinium ambierit, TVVMque favorem ſperet, & benigne clementerque a TE excipiendum eſſe confidat. Quum enim in eo Graeci hominis & Epiſcopi Epiſtolae contineantur, & multa quae Graecorum res, & mores, ac ritus attinent, haud incurioſe tractentur; quis ignoret TE Regno, antiquae Graeciae portioni clariſſimae, Praeſidem, & Moderatorem praeeſſe vigilantiſſimum; & Regno quidem, in quo adhuc tot Graecitatis veſtigia ſubſpicienda ſuperſunt? Quod ſi TIBI hoc Volumine

Grae-

Graeciam ſiſto, ſed Graeciam iam Barbarorum tyrannide oppreſſam, & adeo ab antiqua illa Graecia mutatam, ut vix Graeciam in ipſa Graecia reperire quis poſſit; ſimiles certe caſus, & Fortunae iniurias Sicilia etiam experta olim eſt, & Saracenorum inſultus atque inruptiones miſere perpeſſa; licet immane iugum & minime ferendum ſtrenua ſemper & fortis excuſſerit, ut tamdem Principibus maximis, & Barbarorum generi fatalibus, libera & fortunata pareret. Sed & ſi minus res ita ſe haberet, domeſticae cauſſae ſubſunt, PRINCEPS AMPLISSIME, quibus ad hoc meum munuſculum aequi bonique conſulendum aut illiciaris potenter, aut ſuaviter impellaris. Ne-

minem enim latet Nobiliſſimam CORSINIORVM gentem non litterarum tantum, doctorumque hominum, praeſidium ingens ſemper fuiſſe, verum etiam ipſam Viros ſcientia & eruditione praeſtantiſſimos idemtidem protuliſſe. Hos inter ſaeculo XIV. *Petrus Corſinius* Cardinalis ampliſſimus, hiſtoriae conditor perhibetur; & *Philippus Corſinius* Eques, Juris interpres eminentiſſimus commemoratur. *Philippus* alter Saeculo XV. S. Leonis Magni Sermonibus Italice converſis percelebris exſtitit; *Carolus Corſinius* Senator Clariſſimus Salluſtium de Coniuratione Catilinae ſcribentem ad Italicas aures pariter tranſtulit, & literarum gloria praecelluit. *Philippus* vero *Corſinius*, Pater Tuus, vir

ille

ille magnificus & admirabilis, & litterariis Coetibus Princeps Moderatorque praeſedit, & Hiſpanienſem Antonii de Solis hiſtoriam Florentina civitate donavit, & a Viris doctiſſimis commendari & ferri laudibus meruit. Verumne *Clementem XII.* Pont. Max. Patruum TVVM, brevi nunc commemoratione ſubſpicere adriſerit, quem pro ſuis in egregias artes, liberaleſque diſciplinas meritis, prolixa vix & exitum difficile repertura oratione digne celebraretur? Sed avitis ne praeconiis hiſce TV indiges, qui TVA ipſe virtute, TVIS que in Litterariam Remp. meritis memorabilibus fulges? Qui eruditione conſpicuus Coetui Tuſcanicae Linguae adſertori Florentiae, in

pa-

patria TVA, multa cum laude praefuiſti? Qui prudentiam tantam, perſpicientiam, gravitatem, comitatemque prae TE fers? Verum & duo alia domeſtica exempla ſubpetunt, quibus ad hoc obſequium meum probandum vehementius ac fortius inducaris. Vnum eſt paulo antiquius, & Graecas litteras ſpectans, gentilis TVI illius *Alexandri Corſinii*, qui non ſolum Graecanicae Muſae alumnus fuit, & Graeca exemplaria nocturna diurnaque manu verſabat; ſed etiam Graecam Hiſtoriarum Thucydidis editionem a *Bernardo Iuncta* Chalcographo Florentino adornatam, a Graece erudito Viro *Antonio Francino*, Graeca Epiſtola praemiſſa, ſibi nuncupari benigne & comi-

ter paſſus eſt, dum anno MD XXVI. Volaterrarum Praetor ſederet, & dulcium Muſarum in mediis etiam negotiis minime obliviſceretur. Alterum recentius eſt, & me TVI Tuaeque domus veneratorem maximum adtinet, clementia ſcilicet & dignatio incredibilis Eminentiſſimi Cardinalis *Nerii Corſinii*, Fratris TVI, qui paucis ab hinc annis ſerena fronte, & benevolo animo, & humanitate munifica, ſimile donarium eius a me Nomini conſecratum, excipere & probare non detrectavit. Aliquid igitur in praeſens de maieſtate remitte, & non tam memorandis Maiorum TVORVM exemplis excitatus, quam propria virtute laudabiliter impulſus, hoc qua-

lecum-

lecumque mei obſequii monumentum pacato vultu clementer excipe, & meorum laborum, & ſtudii non omnino ſpernendi Patronus & Fautor eſſe non dedigneris; cui interim vitam longaevam atque tranquillam a Deo Opt. Max. precor. Vale. Dabam Florentiae Kal. Octobribus Anno MDCCXXXX.

CANDIDO LECTORI

IO. LAMIVS S. D.

QVod antecedenti volumine, ſecundam Michaelis Glycae Epiſtolarum partem complectente, promiſeram, & amplius etiam, meam fidem liberaturus, nunc praeſto. Non enim Latinam tantum Epiſtolarum Maximi Margunii in eo editarum interpretationem publici iuris facio; verum etiam ceteras, quae apud me erant, eiuſdem Margunii Epiſtolas Graece edo, & harum quoque ad Latinas aures translationem, a Philippo Elmio, Florentino iuvene pererudito, elaboratam atque perfectam.

ſectam. Quin, neſcio quid mantiſſae & corollarii a me adiectum fuit, Epiſtolae videlicet Dionyſii Cateliani, Antonii Eparchi, & Arſenii *Monembaſiae Archiepiſcopi; ſed hae Graece tantum, quas in Latinum alias vertemus, & Romana Civitate donatis aliud noſtrarum* Deliciarum *Volumen tempeſtive adornabimus. Sed priuſquam de hiſce pluria obſervando commentemur, Codicis MS. ex quo eas produximus, hiſtoria a nobis apte congruenterque adtexenda eſt. Codex ille igitur chartaceus eſt, manu exaratus Saeculo XVII. forma, ut aiunt, quarti, membranaceo tegumento, & octingentis plus minus paginis conſtans. Primis paginis quaedam non magni momenti adnotata ſunt, & ex* Georgii Cedreni *hiſtoria de Templo Ieroſolymitano perbreve excerptum ſubiungitur. Sequuntur deinde Graecorum quorumdam, qui Saeculo XVI. & XVII. vixerunt, Epiſtolae numero CXC. Nomina eorum, qui eas ſcripſere, ſunt quae ſequuntur.*

Andreas Londanus eques D. Stephani.
Andreas Spiras.
Anonymus.
Antonius Eparchus.
Arſenius Archiepiſcopus Monembaſiae.
Athanaſius Patriarcha Alexandrinus.
Chius.
Conſtantinus Lucaris.

Con-

Conſtantinus Patricius.
Daemonioannes.
Dionyſius.
Dionyſius Catelianus.
Emmanuel Margunius.
Emmanuel Pegas.
Franciſcus Coccus.
Franciſcus Daportus.
Gabriel Severus.
Georgius Balſamon.
Georgius Carophiles.
Georgius Lampadarius magnae Eccleſiae.
Geraſimus Hieromonachus.
Hermodorus.
Hierotheus Metropolita Monembaſiae.
Hippolytus Metropolita Chii.
Iacobus Patriarcha Conſtantinopolitanus.
Ieremias II. Patriarcha CP.
Ieremias Tzancarelos Hieromonachus.
Ioannes
Ioannes Bonapheus.
Ioannes Nathanael Sacerdos.
Ioannes Sozomenus Cyprius.
Leontius Cyprius Hieromonachus.
Leontius Hieromonachus.
Manuel
Marcus Morezenus Sacerdos.
Maximus Archidiaconus Alexandriae.
Maximus Hieromonachus.

Maxi-

Maximus Margunius Epiſcopus Cytherorum.
Meletius Monachus.
Meletius Pegas Patriarcha Alexandrinus.
Metrophanes Hieromonachus.
Metrophanes Pontifex Monembaſiae.
Metrophanes Rhacendytorum & Melenici.
Michael Blaſtus.
Michael Paraſtates.
Nathanael Graſos Hieromonachus.
Nicephorus Hieromonachus Chartophylax.
Nicephorus Paraſches Hierodiaconus.
Nicolaus Marinus.
Nicolaus Protonotarius Choniates.
Nicolaus Rhodius Sacerdos.
Paulus Manucius.
Petrus Arcudius.
Simeon.
Syneſius Hellanicus.
Theophanes.
Theophanes Monachus.

Ii vero, quibus Epiſtolae ſcribuntur, ſequentes ſunt.

Antonius Eparchus.
Archiepiſcopus Monembaſiae.
Arſenius Archiepiſcopus Monembaſia.
Arſenius Pontifex Tornobi.
Cardinalis Farneſius.
Conſtantinus Lucaris.
Daniel Phaſulas Hieromonachus.

Dio-

Dionyſius Catelianus.
Dionyſius Ephemerius Monaſterii Magni
Georgii.
Dionyſius Hieromonachus.
Dionyſius Hieromonachus Protoſyncellus.
Dionyſius Galatenſis.
Dionyſius Segurus Epiſcopus Aeginae.
Dionyſius Simeon.
Frater Dionyſii.
Gabriel.
Gabriel Severus.
Gabriel Tryphas Hieromonachus.
Georgius Corinthius Comes.
Georgius Ducataras.
Hermodorus.
Hermodorus Leſtarchus.
Hieronymus Litarchus.
Ieremias II. Patriarcha CP.
Ignatius Hieromonachus.
Ioannes Segurus ex Rhetymna Sacerdos.
Laurentius Marinus Cathegumenus S. Antonii Brontiſii.
Leontius.
Leontius Cyprius.
Leontius Hieromonachus.
Macarius Metropolita Monembaſiae.
Magnus Logotheta.
Manuel Blaſtus Cydoniates.
Maximus Margunius.
Meletius Blaſtus.

Metaphraſtes Epiſcopus.
Michael Leſtarchus.
Michael Sophianus.
Monachus Zarenſis.
Nicodemus Epiſcopus.
Pachaturis Hieromonachus.
Pachomius Doxaras.
Patriarcha CP.
Protopapas Corcyrae.
Robertus.
Scevophylax Magnae Eccleſiae.
Theodoſius Protonotarius.
Theophanes Leabulcus Berrhoetes.

Ante duas extremas Epiſtolas varia SS Patrum teſtimonia de Proceſſione Spiritus Sancti, ſed in uſum Graecorum Schiſmaticorum excerpta, exſtant. Epiſtolas excipit libellus Sancti Athanaſii de cauſa Angelorum per interrogationem & reſponſionem τȣ͂ ἁγίȣ ἀθανασίȣ περὶ ἀγγέλων ταῖς ἐρωταποκρίσεσιν αἰτίȣ: *poſt quem occurrunt Excerpta Heraclidis de Rebuſpublicis Graece ac Latine; & quaedam adnotata ex* Xyſto *Senenſi de Sacrorum librorum Veteris Teſtamenti Auctoribus. Nonnulla deinceps Diſticha Latina in duos quoſdam ignotos, offenduntur, quorum primum ita habet:*

Me Venetis natura dedit, fortuna Latinis,
Ambitio Gallis; cetera quid referam?

Alia ſunt in Cretenſem quemdam, qui Ie-

ſuita

ſuita & Auguſtinianus fuerat, &, ut videtur, Rotae, ut vocant, Iudex eſſe pertendebat. Nos duo tantum referemus:

Graeca fides, Albana domus, Loiola relictus,
Mitra & barba ſacra te repulere, Rota:

Et:

Bis fugit e clauſtris Cretenſis Zoilus: aeque
Vt Rota decidat, decidat iſte Rota.

Pluribus autem vacuis paginis relictis decem Epigrammata Graeca ſe obferunt, quorum auctores ſunt Beſſario, Maximus Margunius, Dionyſius Catelianus, Gabriel Philadelphiae, Meletius Blaſtus, Matthaeus Typaldus, *qui forte non alius, quam qui* Meletius *adpellatus eſt, Philadelphiae Archiepiſcopus, cuius* pag. 235 *mentionem fecimus. Nos ex Epigrammatis producemus tantum ea, quae* Margunium, & Meletium Blaſtum *auctores habent, utpote quae ad rem noſtram in praeſens facere deprehenduntur, quum* Margunii *Epiſtolas heic ediderimus;* Meletii *autem* Blaſti *notitiam quamdam haud omnino incurioſam adſcripſerimus. Non nego &* Gabrielis Severi, & Dionyſii Catelianí *rationem habendam fuiſſe; ſed, quaecumque illos attinent, eorum vitae a no-*

 bis

his diligenter olim ſcribendae & eorum Epiſtolis, illius ineditis, huius Latine verſis, praefigendae, reſervamus. Illa igitur Epigrammata haec ſunt.

Μαξίμου Μαργουνίου. εἰς τινα βίβλον.

Ἀνδρομένης φύσιος σοφὸν ἔργον χὤπόσα κόσμου
Φαινοτάταις αὐγαῖς λάμπεται ἠελίοιο
Ἀνδρέας σελίδεσσι μικραῖς θέτο, δεύτερον ἄπτων
Ἥλιον ἐννοερῷ κόσμῳ ἑῆς σοφίης.
Ὄλβιος ὃς μερόπεσσιν εὔδρομον οἶμον ἀέξων
Εὐπρόσιτον χορέην θήκατο οὐρανίην.

Μελετίου Βλαστοῦ εἰς τὸν ἐκ γενετῆς τυφλόν

Κουριδίης μαρίης γόνος ἀφθιτότικτος ἰάλλει
Ἀκτῖνα λαμπροτάτην αὐτοσύτοιο φάους,
Ἴλλοις λιθομένοις ἱκετήσιος αἰὲν ὑπάρχων
Ἤθεσιν ἰκμαλέοις ἠδ᾽ ἀσινέσσι λόγοις.

Tamdem Catalogus Epiſtolarum omnium, quae in codice continentur, exſiſtit per materias accurate digeſtus, quem olim fortaſſis, Deo adnuente, publici iuris faciemus, quum aliud volumen harum Epiſtolarum concinnabimus; & Catalogus operum D Athanaſii *Archiepiſcopi Alexandrini, duobus Tomis comprehenſorum, & quidem Graece, ſed a Latino quodam, vel Latine docto, ut videtur, exaratus. Codex non una manu ſcriptus eſt, licet Epiſtolae eadem manu omnes ſcriptae ſint, una* Hermodori, *& alia* Iacobi *Patriar-*

triarchae CP *& tertia denique* Athanaſii Patriarchae *Alexandrini* , *exceptis* , *& prima quidem* , *diverſa* ; *aliae vero* , *etiam recentiori manu* , *ſicut & reliqua omnia* , *quae poſt Epiſtolas in hoc Codice habentur* , *ſi Epigrammata exceperis* . *Tresdecim priores* Marginii *Epiſtolae*, *quas ad calcem Epiſtolarum* Glycae *in alio volumine Graece publici iuris fecimus* , *in alio Codice exſtant* , *quemadmodum & tres* , *quae in hoc volumine praecedunt* ; *& Codice quidem Chartaceo incompacto* , *quem nulla alia animadverſione dignum exiſtimamus*. *Quomodo hi duo Codices in noſtras manus pervenerint* , *iam in alio Volumine laudato aperuimus* , *& in hoc opportune declarare non omiſimus* pag. 24 *eos mihi ſcilicet commodaviſſe Virum praeſtantiſſimum*, *& late celeberrimum*, Scip. Maffeium *Marchionem Veronenſem* , *cuius*, *quoad alia eruditionis & doctrinae capita*, *merita*, *& laudes alii* , *& ipſe etiam opportune*, *expedierint* ; *nunc vero tantum eum de Graecis litteris* , *& eruditione*, *optime meritum praedicare fert animus* , *ex his eius Codicibus Graecis occaſione adrepta* , *aliiſque etiam*, *quorum uſum mihi liberaliter perhumaniterque conceſſit*. *Hic igitur Vir Clariſſimus non Graece tantum doctus eſſe voluit* , *& Graecorum auctorum lectione excoli & erudiri ſed & Graecarum litterarum incrementa noſtra*

aetate, & *progreſſus omnimodis* & *pro virili portione procuravit. Iam ſuae Graecanicae litteraturae ſpecimen luculentiſſimum praebuit*, *primum Homericae Iliados librum Italicis verſibus*, & *quidem elegantiſſimis exprimens*, *quem primo ſuarum* Litterariarum obſervationum *Volumine edidit*; & Maximi Margunii *noſtri Epiſtolam Latine vertens*, *quam quidem interpretationem exactam* & *accuratam*, *nos etiam* pag. 122. *publici iuris facimus*; *quamquam falſi fuimus*, *memoria deficiente*, *ubi in* Praefatione in Partem II. Epiſtolarum Michaelis Glycae *diximus cuiusdam* Margunii *Epiſtolae locum ab eodem Viro eruditiſſimo in ſua* Verona illuſtrata *productum fuiſſe*; *quum non Epiſtolae* Margunii *locus ille ſit*, *ſed alterius cuiusdam Epiſtolae*, *quae in eodem Codice habetur*, & *quidem ἀνωνύμȢ καὶ ἀδεσπότȢ*; *ſed quam ego* Arſenii *Monembaſiae Archiepiſcopi eſſe exiſtimaverim*; *in qua* & *de* Matthaeo Giberto *Epiſcopo Veronenſi doctiſſimo loquitur*, & *Mediceos Proceres*, *ac praecipue τὸν μεγαλοπρεπῆ ἐκεῖνον καὶ φιλέλληνα*, *καὶ μεγαλόνȢν λαυρέντιον*, *Patriarchae Conſtantinopolitano. ut videtur*, *ſcribens*, *laudibus fert atque ſubſpicit*. *Sed licet Latine* Ioannis Chryſoſtomi *ad* Caeſarium *Monachum Epiſtolam anno* 1721. *Florentiae* Maffeius *ediderit*, *tamen fragmentis*, *quae-*

cum-

Digitized by Google

cumque invenire potuit, *Graecis additis*, *&* *Eruditis obſervationibus adſcriptis*, *quantum in Graecis litteris profeciſſet*, *luculenter oſtendit*. *Quin adeo Graecas litteras* Maffeius *adamavit*, *ut Graecos Auctores admodum ſemperque commendaverit*, *&* Homerum *in primis*, *quem Italice partim vertiſſe minime contentus*, aliorum omnium magiſtrum, & primum poeſeos univerſae fontem, & cunctorum ſaeculorum oraculum, *iure optimo adpellans*, *ad lectionem alios*, *laudes eius praeſtantiamque praedicando*, *identidem inflammaverit*, *& cauſſa fuerit inter alios* Angelo Mariae Riccio *Graecarum litterarum in Florentina Academia Profeſſori eruditiſſimo*, *ſe totum tam utili & iucundae lectioni addicendi*, *pervadendique abſtruſiores Poetae eminentiſſimi ſenſus*, *atque animo penitus comprehendendi poema nobile*, *quod ipſe* Riccius *ſuas* in Homerum Diſſertationes *in vulgus prodens ingenue teſtatus eſt*. *Quid quod harum litterarum amore inductus*, Ant. Mariam Salvinium *Virum Graece ſupra fidem doctum & ferme unicum*, *qui*, *ſua aetate*, *omnibus numeris abſoluta Graecae linguae cognitione praeſtaret*, *per epiſtolam rogavit*, *ut venuſtas & ſplendidas* Phaedri *Fabulas totidem Graecis verſibus redderet*; *quod quidem ille praeſtare adgreſſus eſt*. *ut conſtat ex* Phaedro *typis excuſo*, *qui hodie apud* Gabr. Riccar-

dium *Marchionem & Canonicum Florentinum exſtat, in cuius paginarum ora Graeca* τȣ̃ πάνυ Salvinii *interpretatio plurium Fabularum elegantiſſima adſcripta eſt? Nec alia de cauſa puto illum ab eodem* Salvinio Catulli *Veronenſis in Graecos verſus translationem ſibi tranſmittendam curaviſſe (illam enim apud ſe adſervari in ſua* Verona illuſtrata *teſtatur) quamquam & aliquam patriae amor in hoc partem habere potuerit. Sciendum enim eſt, ut id obiter adnotem, illud Florentiae decus & ornamentum* Salvinium, *trium egregiorum Poetarum,* Catulli, Tibulli, *&* Propertii *Carminum in ſimiles pareſque Graecos verſus translationem anno* 1723. *menſe Octobri adgreſſum fuiſſe; fidumque interpretem, elegantem, & facilem opus inprimis arduum menſe Martio eodem anno ad umbilicum deduxiſſe; cuius rei teſtis ego ſum, qui quotidie ad eum auditor adventabam, & eius admirando labori & operae intereram. Sed ſuum quoque erga Graecam eruditionem ſtudium* Maffeius *oſtendit egregios Codices MSS. Graecos comparando, quorum quatuor, certe ſingulares, mihi pro ſua munifica humanitate commodavit; illos duos quos ſuperius opportune deſcripſimus, alium, qui Catalogum cuiusdam Graecae Bibliothecae Manuſcriptae complectitur; de quo ipſe* Maffeius

Tomo

Tomo VI. Obſervationum litterariarum, & Ephemerides litterariae Florentinae, *loquuntur*, *& nos* pag. 147. *mentionem heic fecimus; tertium denique, qui* Conſtantini Porphyrogennetae *Tactica*, *& quidem integra, quibusdam brevibus lacunis exceptis, comprehendit; & quae a me inter* Io. Meurſii *opera*, *Latina translatione adpoſita*, *iam typis in vulgus prodenda excuduntur. Credideram quidem & ex hoc capite Graecam* Maffeii *eruditionem commendare poſſe*, *nam* Io. Alb. Fabricius *in ſua* Graeca Bibliotheca *ſcriptum reliquerat*, *Latinam illorum Tacticorum translationem ab eo iam adornatam fuiſſe; ſed quum Virum humaniſſimum, ut illam publici iuris faciendam ad me mitteret, rogaſſem, ſe numquam eam concinnaſſe ingenue reſpondit. At non haec tantum quoad Graecas litteras* Scipionis Maffeii *merita ſunt: maius etiam opus movit, & Veronae, in patria, intermortuum huiuſmodi litterarum ſtudium ipſe iterum excitavit, & induxit, Viro Graeco atque adprime erudito, & excepto, & ſplendide habito, qui Veronenſem iuventutem Graecis litteris inſtitueret. Fuit hic* Panagiotes *Sinopeus, qui quum Conſtantinopoli Venetias ſe contuliſſet, ut Lipſiam proficiſceretur, quo a Saxonibus quibusdam invitatus fuerat, Venetiis ſubſtitit, ubi* Meletii Typaldi *Archiepiſcopi Philadel-*

 ladel-

ladelphiae beneficentiam , & *liberalitatem* , *donec is vixit* , *expertus eſt*. *Sed quum ille naturae conceſſiſſet*, Panagiotes, *qui vitam toleraret incertus*, Scipioni Maffeio , *quem Venetiis noverat* , *ſcripſit* , *ſuum ob* Typaldi *mortem infortunium exponens* , & *ſe Veronam conceſſurum* , *ſi ei placeret* , *ſignificans*. *Laudavit propoſitum* Maffeius , & *ut quantocius illuc tenderet hortatus eſt* , *illumque ſuis aedibus praeſentem liberaliter excepit* , & *per multorum annorum ſpatium munificenter aluit* , *cum ſuorum ſtudiorum ſocium*, *Veronenſis iuventutis praeceptorem* , & *Graecarum litterarum illecebram* , *reputans*. *Neſcio an hic* Panagiotes , *ille Sinopeus ſit* , *Monachus* , *qui anno* 1697. *Anthologium totius anni in Hungaro-Valachia cuſum emendavit* & *caſtigavit* , *cuius meminit etiam* B. Montfauconius Cap. XXVIII. Diarii Italici. *Ex huius igitur Viri eruditiſſimi* , Scipionis Maffeii *munere has Epiſtolas edimus* , *quarum* Marguniānas *tantum Latine etiam damus* , *ex interpretatione* , *ut diximus* , Philip. Elmii , *Florentini* , *Graecarum litterarum adprime ſtudioſi* , & *in diſciplinas tota pondere ſe deferentis iuvenis* , *qui mihi aliis negotiorum oneribus preſſo* & *laboranti opem ferre*, & *veluti manum ſubponere haud dedignatus eſt* ; *Scholia etiam quaedam* , *addendo* , *quae eius nomine adſcripta a meis facile di-*

ſtin-

ſtinguantur. Sed ne laborioſae huius interpretationis pondus ei totum incumberet, & i ſe nonnullas Latine verti: easque omnes expertus ſum intricatas, confuſas, atque difficillimas, cum ob corruptum textum, tum ob ſtilum aſperum & ſalebroſum. Ipſe quidem multa loca, multa verba, qua licuit, reſtitui; ſed ea, ſcholiis adſcriptis, indicare ſuperſedi; nam ex Latina interpretatione, quomodo a me Graecus textus lectus fuerit, colligere proclive eſt Graece doctis: indoctis vero, etiam adnotaſſe, & indicaſſe, ſuperfluum inutileque fuiſſet. Ceterum, quod Scholia adpoſita attinet, res Graecorum recentiorum & praecipue Eccleſiaſticas, inluſtrare pro virili conatus ſum, utpote quae quamplurimos lateant: hinc vita illa paulo prolixior Ieremiae II. Patriarchae Conſtantinopolitani; hinc Montis Atho, & eius Monaſteriorum effuſa deſcriptio: hinc urbium, inſularum, aliorumque locorum, ubi ſe dedit occaſio, conſideratio curioſior: hinc quorumdam Graecorum eruditorum, & Graecarum familiarum, apta & concinna hiſtoria: hinc denique rituum, & morum eorumdem diſquiſitio expoſitioque diligentior. Sed & Bibliothecae Beſſarionis *Cardinalis Catalogum adtexuimus, quem ex Bibliotheca Riccardiana erutum, & ipſi* Beſſarioni *forte contemporalem, non ingratum lectoribus fore arbitrati ſumus, licet*

✠ † 6 *ine-*

ineleganter, *& ruſtice*, *corrupteque exaratum*; *licet etiam Scriptor eminentiſſimus* B. Montfauconius, *recentiorem eiusdem Bibliothecae indicem evulgaſſet*; *licet exactum*, *& ſplendidum*, *& in primis commendandum*. *nunc viri doctiſſimi* M. Ant. Zanettius, *&* Anton. Bonoioannes *eumdem iuſſu Senatus diligentiſſime contexuerint*, *& magnificenter ediderint*. *Iucundius neſcio quid & illecebroſum in ſe habet antiquitas*, *praecipue ubi eius ſimplicitas quaedam cognitionum incrementa praeſefert*; *ubi diſcrimen aliquod inter vetuſtiora*, *& recentiora*, *deprehenditur*: *quod de noſtro Catalogo iure quis dixerit*. *Vt autem iſthuc ipſum exemplis productis confirmemus*, *certe* Chortaſmenus in Logicam & Rhetoricam in papyris pag. 130. Iamblichus de Vita Pythagorae, in pergamenis pag. 132. Theogenis & Chariclae opera, in pergamenis pag. 133. Epiſtolae Pauli, Graece, & Latine, & Ebraice, pag. 138 *quae in noſtro Catalogo habentur*, *in eo quem* Montfauconius *edidit*, *& in Veneto ultimo Catalogo deſiderantur*. *Et quidem* Chortaſmenus *ille*, *cuius nulla etiam apud* Fabricium *mentio*, Ignatius *eſt*, *qui Rhetorica quaedam ſcripſit*, *& MS. in Bibliotheca Riccardiana adſervatur*.

Ex hoc quoque Catalogo a nobis edito falſi redargui poſſent Fr. Turrianus, *alii*-

que

que eum ſequuti Tillemontius , *&* Caveus, *&* *quicumque crediderunt* , Macarii Magnetis *adverſus Theoſthenem opus Apologeticum in Bibliotheca Divi* Marci *Venetiis adſervari* , *ſi in noſtro Catalogo quaedam* pag. 139. *deeſſe non viderentur*. *Nam* Macarius *ille nec in hoc Catalogo pervetuſto* , *nec in recens diligentiſſime concinnato ullibi paret*. *Sed num Ieſuita* Turrianus *mendax? Abſit*. *Sed ſi mendax non eſt*; *certe Codices quidam Bibliothecae Venetae deperditi ſunt* , *ut etiam ex aliis ſupra recenſitis manifeſte patet*. *Ille etiam venia dignus* ; *nam ſi* Magnetis *opus a ſe lectum minime edidit* , *tamen in Veneta Bibliotheca exſtare dixit* , *contra quam ipſe in* Praefatione in Nicetae Heracleenſis in D. Pauli ad Corinthios Epiſtolam I. Commentarios ſeu Catenam *olim exiſtimaveram*. *Verum nunc tantum dicam me ſubſpicari* , *opus illud* Magnetis *deſideratiſſimum e Bibliotheca Veneta in Hiſpanam S. Laurentii Scorialenſis Bibliothecam translatum fuiſſe*, *una cum aliis eiusdem Venetae Bibliothecae Codicibus* , *quos illuc olim tranſmiſſos fuiſſe reſcivi*. *Conſtat etiam ex hoc Catalogo conlato*, *volumen primum elegantiſſimum membranaceum in fine noni aut initio decimi ſaeculi* , *indice* Montfauconio, *ſcriptum Parallelorum* Plutarchi, *quod* Beſſario *e Bibliotheca Benedictinorum Florentinorum ſibi commodatum ac-*

ce-

ceperat, in Bibliotheca Veneta non exſtare; quum alterius paris Codicis, qui Florentiae remanſit, vitae a Phocione incipiant, & in Iulium Caeſarem deſinant, ut apud laudatum Montfauconium Diar. Ital. Cap. XXXV. *videre eſt. Sed de his ſatis hactenus, quum multa iam hoc eodem Catalogo* pag. 146. *opportune obſervaverimus, in quo quidem multa caſtigavimus, ſed multa menda etiam intacta reliquimus, ne eius antiqua & primigenia facies omnino deformaretur & immutaretur. Nunc quaedam de* Maximo Margunio *obſervanda, quibus, quae de eodem* Praefatione ſecundae Partis Epiſtolarum Glycae *commentati ſumus, abſolutiora & luculentiora reddantur; & alia quaedam retractanda, illuſtrandaque, quae feſtinantibus aut omittere opus fuit, aut non ſatis examinare & expendere licuit.* Pag. 117. *ſcripſimus* Maximum Margunium *Latinorum dogmati conſentanea de Proceſſione Spiritus Sancti ſcribere voluiſſe, ſed ſi vera ſunt, quae* pag. 209 *ab eo ſcripta habentur, nec ea dixit, ut exortam in ſe procellam ſedaret; ea quidem Latinorum dogmati conſentanea non erant, licet Graecis ad illud propius accedere viderentur, unde & temperare eſt ea quae* pag. 123 *adnotavimus, quod iam aliquatenus* pag. 233. *exſequuti ſumus. Ceterum non tantum* Margunius Nicolaum *Cruciferum, Vicetiae morantem, veram de Pro-*

ceſ-

ceſſione Spiritus Sancti Latinorum ſententiam rogavit, ſed etiam adverſus eumdem ſcripſit ut pag. 316. *videre eſt*. Pag. 119. *ubi μνσεμβρίας, vel σελυμβρίας legendum putavimus*, Imbri *reſtituendum exiſtimamus. Eſt autem Imbrus Inſula Thraciae, ut apud* Stephanum *videre eſt, cuius Metropolitam* Smithus *in* Oratione de Statu praeſenti Eccleſiarum Graecarum *tradit Patriarchatui CP. ſubiectum eſſe*. Ioachimus *Archiepiſcopus Imbri inter annos* 1550. *&* 1580. *apud* Cruſium *in* Turco-Greciae Lib. IV. *ubi eius Epiſtola exſtat, occurrit*. Athanaſii *autem Imbri Metropolitae, ſibi Synchroni meminit* Leo Allatius *haud ſemel* De Templis Graecorum recentioribus *ſcribens*. Pag. 125. *forte vertendum*: Praeſertim quum res meae modi capaces non fuerint, iam a tribus diebus negligenter, &c. Pag. 151. *vertendum*: Antiquitus fortes erant Mileſii; *& adnotandum* Gabrielem Severum *fuiſſe creatum Archiepiſcopum Philadelphiae a* Ieremia *Patriarcha CP. anno* 1577. *die* 18. *Iulii, ut teſtatur* Stephanus Gerlachius *apud* Cruſium *in* Turco-Graecia. Pag. 170. Margunius *anno* 1583. *e patria fugiſſe videtur, ut etiam* pag. *animadvertimus; & licet* Cruſius *anno* 1582. Gabrieli Severo *Venetias ſcripſerit, eumque de* Maximo Margunio *interrogaverit, non tamen*

id

id evincit a Margunio *Cretam iam relictam fuiſſe.* Pag 225. *Iis quae de Creta adnotantur addendum*, Conſtantinum Servium *Cretenſem anno* 1583 Martino Cruſio *ſcripſiſſe, adfirmaſſeque eam inſulam unicum eruditorum Graecorum refugium tunc temporis fuiſſe, atque eruditos quosdam Cretenſes recenſuiſſe. Inſuper tempore belli Cretenſis, anno videlicet* 1645. *in Candia Civitate fuiſſe XXII. Latinas Eccleſias, inter quas unam Sedem Archiepiſcopalem, & LXXVII. Graecas Paroecias. Cydoniae ſeu Caneae XIV. Latinas Paroecias, & XXXIII Graecas extitiſſe. Rhetymnam vero habuiſſe Paroecias Latinas VIII. & Graecas XXXVI. Sitiam tamdem quartam & ultimam Inſulae urbem ſex Eccleſias Latinas, &* XI *Graecas. Graeci autem, licet ſub Venetis eſſent, erant, ut & hodie, fere omnes Schiſmatici, ut ex* Fragmentis Hiſtoricis de bello Cretenſi *intelligere eſt.* Pag. 270 *obſervandum laudatum* Conſtantinum *in* Turco Graecia *ſcribere*, Andream Spiram *Iuriſconſultum in Creta fuiſſe; & anno* 1576 Nicolaus Spiras *Corcyrae Protopapas electus eſt, ut* Marmora *tradit.* Pag 277. *adde tertio Scholio: Et Spiritum Sanctum per Filium procedere non tranſitorie, ſed ſubſtantialiter, late oſtendit* Leo Allatius *in* Enchiridio de Proceſſione Spiritus Sancti, *quod*

Grae-

Graeco Barbare ſcripſit, Cap. X. Pag. 287. *Epiſtolae titulus non debet eſſe*, Idem eidem, *ſed* Maximus Margunius Meletio Blaſto. Pag 297. *non dubitandum quin* Andreas Cornarus *Cretae Praeſes eſſet*, *quum id conſtet ex* Fragmentis Hiſtoricis de bello Creteníi, *& ex* Hiſtoria Veneta Vianolii *&* Nanii; *at eum reperio Praeſidem*, *ſeu Proviſorem generalem*, *ut vocant*, *anno* 1645. *Nam Veneti in Creta habebant hos primarios magiſtratus: Proviſorem generalem*, *Ducem*, *Capitaneum Magnum*, *duos Conſiliarios*, *Proviſorem Equitatus feudati*, *tres Quaeſtores*, *Caſtellanum*, *Rectores quosdam*, *& alios belli Praefectos*, *Venetos omnes*; *alios Magiſtratus indigenae ipſi obtinebant*, *ut ex citatis* Fragmentis *intelligimus*, *ubi &* Andreae Cornari *elogium exſtat* pag. 309. & ſeqq. *Porro & obſervatione dignum eſt* Maximum Margunium, *ob audaciorem ſuae haereſeos*, *& ritus*, *defenſionem*, *in cuſtodiam coniectum fuiſſe*, *quod ipſe* pag. 237. *litteris mandat* Et *haec quidem circa* Margunii *Epiſtolas animadvertere adriſit*: *ex quibus omnibus liquido patet quantas perſecutiones contra ſe excitaverit*, *in quot mala incurrerit*, *quam miſeram vitam egerit hic Epiſcopus*, *quod rectius aliquatenus ac ſapientius*, *quam reliqui ſui Graeci*, *de Spiritus Sancti proceſſione*, *& de Eccleſiae Romanae inſtitutis*, *ſenti-*

ſentire voluerit; adeo male tutum eſt in infinito ſtultorum numero ſapere. Infiniti facile praevalent, nec ſtulti videri volunt, licet ſint; & ne videantur ipſi, ſtultitiae paucos alios, qui ſapientia praeſtant, per ſummam calumniam inſimulant. Ad rem in fabulis traditur, quum gens quaedam oraculo monita fuiſſet, brevi omnes inſanos evaſuros; eam veritam eſſe ne Philoſophus etiam quidam non inſanus evaderet, coegiſſeque hominem re attonitum ſpondere, ſe quoque capite motum iri, ſi alii huiuſmodi fierent. Huc reſpiciens Vir doctiſſimus, eminentiſſimus, ſanctiſſimus, feſtive quidem ſed vere, dicaciter ſed adpoſite, libere ſed neceſſario, Viro pariter adprime docto & θεολογικωτάτῳ, & qui ob exactiorem verioremque, quam tuebatur, opinionem, poenas Cenſoribus dederat, & palinodiam canere coactus fuerat, dicere ſolitus eſt, iure ipſum reum eſſe peractum, quod alios in veritatis adgnoſcendae ſtadio triginta annis praecurrere voluiſſet. Adeo ὁ βίος ὑπόληψις, & non tam quid veritas exigat, quid ratio ſuadeat, quid argumenta demonſtrent; quam quid ſaeculum ferat, quid plures deſipiant, quid conſpiratio quaedam furioſorum hominum ſubgerat, quaeritur. Ad huius abſurditatis, quam Margunii *caſus obgerebant, confirmationem θεοφιλεστάτου Epiſcopi recens exemplum* pag. 234. *adtulimus:*

nunc

nunc & aliud recentiſſimum addere poſſumus , Franc. Mar. Fogginii *viri eruditiſſimi ſcilicet* , *qui quod* D. Romulum *Feſulanum Epiſcopum a* B Petro *Apoſtolo in Etruriam miſſum non fuiſſe* , *luce meridiana clarius oſtenderit* , *iam minus prudens* , *iam minus pius* , *iam prope baereticus* , *audit* . *Adeone odium veritas parit? Adeone lucem oblatam amore tenebrarum fugimus & exborremus? Chriſtus eſt veritas* : *Chriſtus lux mundi eſt* ; *ubi lux & veritas* ; *ibi Chriſtus* . *Qui lucem & veritatem odit*, *odit & Chriſtum* . *Hic ergo impius* , *hic inſanus*, *hic baereticus* . *Parcite quaeſo* , *miſeri tenebriones* , *calumniis* : *nemo eſt Calvinianus* , *nemo Luteranus* , *nemo Socinianus* , *nemo impius* , *qui ne latum quidem unguem a Sanctae Romanae Eccleſiae placitis & doctrina recedit* : *Parcite quaeſo*, *ignotae & minus vobis aptae veritatis oſores*, *calumniis* , *quae in religionis negotio maximae ſunt* , *pernicioſiſſimae ſunt* , *intolerabiles ſunt* ; *& de quibus tantum Deus ultionum Deus ſupplicia digna exacturus ſit* . *Si iuſta umquam vindicta permiſſa eſt*, *buiuſmodi calumniarum poenas quaſcumque recipiendas eſſe crediderim*, *nam ut* Margunius *inquit*, τοσαῦτα ἔτη διαβαλλόμενοι ἀδίκως ἐπὶ τῷ δόγματι ἐκδικοῦμεν, per tot ãnos iniuſte calumniis adpetitam noſtram fidem ulciſcimur. *Divinus Pſal-*

tes

tes noſtras querimonias apte concludat. Vſquequo, Filii hominum, diligitis vanitatem, & quaeritis mendacium? *Quae ita mihi liberius παραφράζειν adridet*:

Famoſae decus Italiae Florentia, cur non
Falſa putas veris reiicienda ſacris?
Et patrum vana te traditione coerces,
Ne pura Numen religione colas?
Vana, inquam: haud etenim ſaecli documenta vetuſti
Haec ſunt, prudentum demeritura fidem,
Queis ab Apoſtolico repetitus Romulus aevo eſt,
Ingens Feſuleae Romulus urbis honos.
Temporibus demum ſeris haec fabula cuſa eſt,
Quum populus ſimplex, obvius error, erat.
Quis furor, ut cupide heic mendacia credula quaeras,
Iure alias quae vix vera probare ſoles?

IN-

I N D E X
RERVM MEMORABILIVM

Numerus Romanus Praefationem indicat.

A

Achillius Cyzici. 186.
Additio ad Symbolum CP. 205. 209. 228.
Agieſium. 262.
Alexander Leontii filius. 268.
Alexander Macedo. 226. 332.
Alexander Voevoda. 261. 262. 263. 265. 266.
Alexius Angelus. 262.
Alexius Murſiphilus. 262.
Allatius. Leo. 221.
Ambroſius Mediolanenſis. 331.
Amurates. III. 173. 189.
Anachoretae. 152.
Andronicus Palaelologus. 164. 156. 263.
Anthimus Archiepiſcopus Valachiae. 289.
Antonius Epiſcopulus. 292.
Antonius Temonius. 312.
Apandochi. 249.
Arcani diſciplina. 274. 275.
Areopagus. 272.
Argyropulus. Ioaſaphus. 176.
Ariſtoteles. 272.
Arſenius Hieromonachus. 287.
Arſenius Monachus. 267.
Arſenius Monembaſiae. XIV.
Arſenius Patrarum. 176.

Arſe-

Arſenius Tornobi. 176.
Aſcetae. 152.
Aſomatorum pagus. 299.
Aſotas Iberiae princeps 260.
Athanaſius Alexandrinus. 297. XVII. XX.
Athanaſius Alexandrinus recentior. XXI.
Athanaſius Imbri. XXXI.
Atho Mons. 243.
Atticus Capellanus. 176.

B

BArbolus logotheta. 263.
Barlaam. 157.
Baronius. Caeſar. 121. 156. 157.
Baſilius Macedo. 165.
Bellarminus. Robertus. 121.
Benedictus Epiſcopulus. 291.
Beſſarion. 127. 128. 272. XIX. XXVII. XXIX. eius Bibliotheca 128. uſque ad 150.
Bibliotheca Beſſarionis. 128.
Bibliotheca D. Marci Veneta. 150. X.
Bibliotheca Riccardiana. 128. 150.
Bibliothecae Montis Atho. 247.
Bidenbachius. Eberh. 185.
Blachus. Geraſimus. 235.
Blaſtares. Matthaeus. 272.
Blaſtorum familia. 270.
Blaſtus. Manuel. 270.
Blaſtus. Meletius. 270. 281. 287. 288. 290. 294. 297. 335. 338. 343. 346. XIX.
Blaſtus. Michael. 271.
Blaſtus. Nicolaus. 272.
Bondelmontius. Chriſtophorus. 205.

Bon-

Bondelmontius. Ioſephus. 205.
Bornicus. Lucas. 266.
Brennus Gallorum Rex. 167.
Byzantium. 213. 305.

C

CAbaſilas. Simeon. 175. 176.
Caſtanum. 200.
Calendarium Gregorianum. 188. 189. 193. 301.
Callitus Hadrianopolis. 303.
Calogerus. 281.
Campanae. 219.
Candia Vrbs. 223. XXXII.
Canea Vrbs. 224. XXXII.
Cantacuzenorum familia. 173.
Cantacuzenus. Michael. 171. 173. 175. 184.
Cantacuzenus. Serbanus. 268.
Caſtriſius. Daniel. 217.
Catelianus. Dionyſius. 270. 271. XIV. XIX.
Cedrenus. Georgius. XIV.
Chandax. 156.
Chortaſmenus. Ignatius. XXVIII.
Chryſoberges. Conſtantinus. 304.
Chryſopege. 163.
Chytraeus. David. 177. 184.
Concilia a Graecis probata. 208.
Concilium CP. 174. 188. 190. 192. 303. 312.
Concilium Florentinum. 118. 123. 124.
Concilium Nicaenum I. 208.
Concilium Nicaenum II. 208.
Confeſſio Auguſtana. 175. 180.
Conſtantinopolis. 213. Secunda Roma. 305. Nova Roma. 305.

Con-

Conſtantinus. 122.
Conſtantinus Magnus. 305. 332.
Cornarus. Andreas. 207. XXXIII.
Creta. 154. 223. XXXII. XXXIII.
Cruſius. Martinus. 175. 177. 185.
Cydonia. 224. XXXII.
Cyrillus Alexandrinus. 311. 332.
Cyrillus Nicaenus. 176. 186.
Cythera inſula. 204. 338.
Cytheum. 156.

D

Damaſcenus Cyzici. 303.
Damaſcenus. Ioannes. 115.
Damaſcenus Naupacti. 176.
Dionyſius Andrius Patr. CP. 256. 257.
Dionyſius Monachus. 267.
Dionyſius Muſelimes Patr. CP. 257.
Dionyſius Tornovi. 303.
Dionyſius Trapezuntius. 261.
Dolſcius. Paulus. 173. 180.

E

Eccleſiae Graecorum CP. 217.
Eccleſiarum Graecarum forma. 221.
Eccleſias Graecis duas Turcae auferunt. 190.
Elmius. Philippus. XIII. XXVI.
Emmanuel Margunius. Vide Margunius.
Eparchus. Antonius. XIV.
Eparchus. Michael. 121. 122.
Epiſcopulus. Benedictus. Vide Benedictus. Antonius.
Epiſtolae ratio. 273.

Epi-

Epiſtolarum Graeci ſcriptores. XIV.
Euthymius Cathegumenus. 265.

F

Fikleru s. Io. Baptiſta. 191.
Fogginius. Petrus Franciſcus. XXXV.

G

Gabriel Achridarum. 188.
Gabriel Severus. 113. 116. 119. 122. 150. 151. 154. 158. 161. 169. 175. 176. 193. 196. 198. 204. 226. 232. 233. 235. 236. 276. 279. 284. 296. 300. 301. 302. 303. XIX. XXXI.
Gabriel Vlachus. 263.
Galata. 167. 214. 215.
Gaza. Theodorus. 272.
Gemiſtus Pletho. 272.
Georgius Ariſtinus. 206.
Georgius Morales. 300.
Georgius Scholarius. 272.
Georgius Trapezuntius. 272.
Gerlachius. Stephanus. 173. 177.
Germanus Cyprius. 159.
Germanus Heracleae. 303.
Gibertus. Matthaeus. XXIII.
Giuras Serviae Deſpota. 266.
Gortyna. 156.
Graeci Veneti. 242.
Graecorum odium in Eccleſiam Romanam. 246. 341.
Gregorius Iunior. 266.
Gregorius Oeconomus. 186.
Gregorius Nyſſenus. 256.

Gregorius Palamas. 257.
Gregorius XIII. 187. 189.

H

HEerbrandus. Iacobus. 181. 185.
Hermodorus. XX.
Ἡσυχάζω. 229.
Hierax logotheta. 186.
Hieromonachus qui. 113. 271.

I

IAcobus Andreae. 175. 185.
Iacobus Patriarcha CP. XX.
Ieremias I. Patriarcha CP. 268.
Ieremias II. Patriarcha CP. 171. & ſeqq. 182. 299 & ſeqq.
Ignorantia Graecorum. 246. 339.
Imbrus. XXXI.
Incontrius. Fr. Caietanus. 234.
Ioachimus Imbri. XXXI.
Ioachimus Patriarcha Antiochenus. 188. 191.
Ioaſaphus Patriarcha CP. 192.
Ioannes Argyropulus. 272.
Ioannes Conſtantinus Vaſſaraba. 257. 265.
Ioannes Chryſoſtomus. XXII.
Ioannes Petrus Voevoda. 186. 296.
Ioannes Primicerius. 262.
Ioannes Serbanus. 260.
Iobus Patriarcha Ruſſiae. 192.
Ionas. 119.
Ioſephus Rhacendytes. 272.
Irene Athenienſis. 165.

Iu-

Iuſtinianus. 165.

K

KAreis oppidum. 251. 253
Keſim. 268.
Knezes Serviae Lazarus. 268.

L

LEo M. 164.
Leontius Rex Cachetii. 268.
Lindanus. Guil. 191.
Londanus. Andreas. 300.
Lulinus. Aloiſius. 156. 160. 162. 197.

M

MAcarius Heracleae. 262.
Maffeius, Scipio. 122. 123. 304. XXI.
Magirus. Iacobus. 185.
Mahometes Baſſa. 171.
Mahometes II. 199.
Manuel Palaeologus. 268.
Marcus Patr. CP. 199.
Margunius, Maximus. 113. 117. 124. 151. 170. 176. 190. 193. 196. 226. 232. 233. 278. 280. 286. 297. 298. 302. 311. 312. 317. 342. 345. XIX. XXX.
Maria Lecapeni filia. 166.
Maro Giurae filia. 266.
Matthaeus Hieromonachus. 176.
Matthaeus Voevoda. 261. 264. 266.
S. Maximus Abbas. 208. 326.

Maximus Margunius. Vide Margunius.
Maximus Patriarcha CP. 300.
Melus inſula. 237.
Mercurius. 120
Mercurius Triſmegiſtus. 296.
Methodius Hieromonachus. 176.
Metochium. 158. 249.
Metrophanes Berrhoeae. 175. 176.
Metrophanes Naupacti. 186.
Metrophanes Patriarcha CP. 171. 172. 184. 185. 300.
Metrophanes Theſſalonicae. 186.
Metropolitae. 150.
Michael Voevoda. 264.
Monachi Graeci. 152.
Monachi Montis Atho. 243.
Monachus impoſtor. 304.
Monaſteria Montis Atho. 255.
Monaſteria Graeca. 152.
Monaſterium Chryſopeges. 161.
Monaſterium S. Georgii Venetiis. 242.
Monaſterium S. Haecaterinae. 154. 160.
Montfauconius. Bern. 128. 147. 148.
Myrtas Voevoda. 263.

N

NEaugulus Vaſſaraba. 256. 257. 261. 262. 263.
Neophytus Pruſae. 286. 302.
Nicephorus Protoſyncellus. 191.
Nicodemus Mataxas. 289.
Nicolaus Crucifer. 116. 120. 316.
Nicolaus Myſticus. 156.
Nicolaus Patricius. 265.
Nipho Patriarcha CP. 261. 262.
Nomen Monachi Graeci mutant. 151.

Oecq-

O

Oeconomia Bibliae Eden. 121.
Oecumenici titulus. 306.
Ordo Hierarchicus apud Graecos. 152.
Orentius, Theodorus. 293.
Oſiander. Lucas. 185.

P

Pachomius Lesbius Patr. CP. 190. 191. 198. 202. 203.
Palaeologorum familia. 273.
Palaeologus. Ioannes. 116.
Palaeologus. Vide Manuel.
Palamas. 157.
Pammacariſtae templum. 174. 182. 216.
Panagiotes. xxv.
Pater, Deus dictus. 293.
Patriarcha Ruſſiae. 192.
Patriarchae CP. domus. 174. 182. 216.
Patriarchae CP. eligendi ratio. 172. 199. 200.
Patriarchatus CP. confuſio & abuſus. 199.
Patruus, divinus vocatus. 293.
Pegas. Meletius. 193.
Pege. 163.
Pera. 167.
Peripatos. 163.
Peſceſium. 172. 173.
Petrus Entabilas. 316.
Petrus Bulgarorum princeps. 166.
Petrus Protoſpatharius. 267.
Petrus Voevoda. 262. 267. 304.

Phi.

Philadelphia. 151. 235.
Philemon Perithcorii. 186.
Philoſophari. 274.
Philoſophia. 273.
Philotheus Monachus. 267.
Phocas Lampadarius. 300.
Phraſa. Manuel. 155.
Pinellus. Io. Vincentius. 121.
Proceſſio Spiritus Sancti iuxta Graecos. 208. 210. 230. 277. XXX. XXXII.
Protaton. 253.

R

RAdulas Voevoda. 261. 263. 266.
Rhetymna. 312. XXXII.
Riccius. Ang. Maria. 114. XXXIII.
Roxandra. 261. 262.

S

SAbbas Calogerus. 259.
Sabbatianus Presbyter. 300.
Sabbatianus Scevophylax. 186.
Salvinius. Ant. Maria. XXIII.
Schnepfius. Theod. 185.
Schreeicherus. Salomon. 181.
Selimus II. Sultanus. 173.
Semanterion. 220.
Serbanus Cantacuzenus. 268.
Severus. Vide Gabriel Severus.
Sidero-Capti oppidum. 252.
Silvanus Monachus. 262.
Silveſter Patriarcha Alex. 188. 191.

Si-

Simeon Bulgariae deſpotes. 165.
Simeon Bulgariae rex. 165.
Siminelus. Nicolaus. 293.
Siminelus. Philippus. 292.
Simon Monachus. 264.
Simon Trapezuntius Patriarcha CP. 199.
Simonia Graecorum. 174. 199. 202.
Sinaitae. 157.
Sintzendorff. Ioachimus. 181.
Siſinnius Nicomediae. 186.
Sitia vrbs. XXXII.
Socolovius. Stanislaus. 182. 191.
Socrates. 181.
Sophronius Epheſi. 186.
Spiras. Andreas. 243. XXXII.
Spiras. Hadrianus. 241. 243.
Spiras. Nicolaus. XXXII.
Spiras gens. 270.
Spiridion Blondus. 312.
Stauropegion. 304.
Stephanus Serviae rex. 259.
Stephanus Voevoda. 264.
Sycena regio. 167.

T

Tetraodion. 115.
Theodoretus. 311. 331.
Theodorus Ioannides Czarus. 192.
Theodorus Zaromenus. 300.
Theodoſius Neauguli filius. 261.
Theodoſius Trapezuntius. 261.
Theoleptus Archimandrita. 182.
Theophanes Patriarcha CP. 191.

Theophanes Vedinae. 303.
Theophilus Hieromonachus. 190.
Theophylactus. 288.
Tituli Epiſcoporum Graecorum. 309.
Tornicius Iberus. 250.
Tubingenſes Theologi. 177. 185. 191.
Turcarum in Graecos tyrannis. 203.
Turrianus. Franc. XXVIII.
Typaldus. Matthaeus. XIX.
Typaldus. Meletius. 235. XIX. XXV.
Typographiae apud Graecos. 115. 288.

V

VAlachia. 195.
Valerius. Auguſtinus. 157.
Veneta Eccleſia Graecorum. 235.
Vintilas Voevoda. 263.
Virtus. 275.
Vngnadius. David. 175. 177.
Wirterbergenſes Theologi. 177. 185. 191.

X

XEnophon. 266.
Xystus Senenſis. XVII.

Z

ZIo. 293.
Zygomalas. Ioannes. 175. 179.
Zygomalas. Theodoſius. 175. 179. 194. 300.

MA-

ΜΑΞΙΜΟΥ ΤΟΥ ΜΑΡΓΟΥΝΙΟΥ ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Φιλίππῳ τῷ σιμινέλῳ, ἀδελφῷ ἐν χριςῷ παμφιλτάτῳ καὶ λογιωτάτῳ μάξιμος ταπεινὸς ἐπίσκοπος κυθήρων, εὖ πράττειν.

ΚΑΙ παρὼν ἤδη τὴν περὶ τὰ καλά σου ᾔδειν σπουδὴν, ἀδελφῶν μοι φίλτατε φίλιππε, καὶ ἀπὼν δι' ὧν ἀκούω τῶν τὰ σὰ διεξιόντων, καὶ πάνυ ὑπερηγάπη; καὶ εἴμοι δυνατὸν ἦν, ενηγκαλισάμην ἂν ταῖν χεροῖν, ὃν τῷ πνεύματι νοερῶς περιπτύσσομαι· ἀμέλειτοι περὶ ὃ οὐκ ἀνισχύρως ἔχω, τοῦτο δὴ καὶ πράττειν ὁπωσοῦν κατεπείγομαι, τὸν ἐγκείμενόν σοι ἐπαινετὸν τῆς μελέτης σπινθῆρα διὰ τῶν προσφόρων ὑπεκκαυμάτων ὑπανακαίων σου, εἰδὲ καὶ τοῦτο ἧττον ἢ κατὰ τὴν σὴν ἀξίαν καὶ ἀρέσκειαν, πρὸς γράφοις ἂν εἰκότως τὸ πᾶν οὐ τῷ τῆς

 προ-

προθυμίας, ἀλλὰ τῷ ἐλλειπεῖ τῆς δυνάμεως· ἔστι δὲ τὸ δῶρον μικρὸν μὲν εἰ τοῖς ὁμοίοις παραβάλλοις, οὐ μικρὸν δ᾽ αὖθις εἰ τὰς ἐνυποκειμένας ἀποσημειώσεις. ἐπιθεωρεῖν ἔλοιο, καὶ οὐ δ᾽ ἄκαρπός σοι ἡ θεωρία· μόνον εἰ ἐπιβάλεις ἐπιμελέστερον τῷ σπουδάσματι· ἀνδρῶν γὰρ τῶν πάνυ γενναίων ἐπιδειξαμένων περὶ τὰ γραμματικὰ σπουδὴν τὸ ἐκπόνημα. θεόδωρος ἦν οὗτος ὁ τῆς μακαρίας μνήμης ὀρέντιος, οὐδενὸς δεύτερος τῶν ἐν τοῖς καθ᾽ ἡμᾶς χρόνοις τὰ πρῶτα φερόντων, ἔνγε ταῖς προπαιδείαις, μᾶλλον δὲ καὶ τῶν πρωτείων πᾶσιν ἀμφισβητῶν· κέχρησο δὲ τῷ δώρῳ μᾶλλον δὲ τούτου ἐπ᾽ ἐξουσίας ἀπόλαυε, διά τε τὴν περὶ τὰ καλά σου σπουδὴν τῶν μαθημάτων καὶ τὴν πάλαι ποτὲ γενομένην ἐμοὶ πρὸς τὸν σὸν θεῖον, νικόλεων φημὶ τὸν εὐγενέστατον, φιλίαν, ἣν ἐγὼ ὥς τιμαλφές τι ἐγκόλπιον διατηρῶν διετέλουν, αὐτὸς δὲ ταῖς εὐεργεσίαις ἐπετύγχανεν, οὐχ ἧττον γάρ σοι τῆς ἀγαθῆς τε καὶ ἐπαινετῆς προαιρέσεως, ἥπερ αὐτῷ τῆς περὶ ἐμὲ σπουδῆς ὀφειλέτην ἐμαυτὸν εἶναι ἔγνωκα. ἔῤῥωσο καὶ εἴπου σοι προσδεήσει τῶν ἐς ἡμετέραν ἡκόντων δύναμιν πρόσαττε.

Ἐνετίηθεν, βοηδρομιῶνος ἐννάτῃ φθίνοντος, κατὰ τὸ ͵αφσά ἔτος τὸ σωτήριον.

Ἱερεμίας ἐλέῳ θεοῦ .... κωνσταντίνου πόλεως ......
καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης.

ΘΕοφιλέστατε ἐπίσκοπε κυθήρων, χάρις εἴη καὶ εἰρήνη, καὶ ἔλεος τῇ σῇ θεοφιλίᾳ παρὰ θεοῦ παντοκράτορος. μέλει μὲν τοῦ παρόντος ὦ τῶν θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων σοφώτατε διεσκεψάμην κατὰ ἀκρίβειαν μηδὲν τῶν μὴ ἀρεσκόντων σαυτὸν πεπονθέναι· καὶ γὰρ πολλάκις ὁ τῶν ἀρχιερέων σύλλογος μηδὲν τοὺς παλαὶ λατίνωντε καὶ τῶν καθ᾽ ἡμᾶς ἁγίων πατέρων εἰδέναισε φάσκοντα, καὶ μάλιστα περὶ τοῦ παναγίου πνεύματος προστιθέμενον, τὸ τῆς ἀρχιερωσύνης ἀφαιρεῖσθαι, καὶ τὸ παράπαν καθυστερεῖσθαι πάντως προύκριναν· πῶς γὰρ αὐτὸς οἴει πάντων εἶναί σε μείζω, πολλῷ τῷ μέτρῳ κλυδωνιζόμενος, καὶ κατ᾽ ἐκείνων ῥάδιον ἐκφερόμενος, οἷς πράξεώς τε καὶ θεωρίας κατὰ τὸν εἰπόντα ἐπίβασις; πέπαυσο τοιγαροῦν τῶν τοιούτων μηδὲ ἓν ἐνοχλῶν καὶ τοῖς πολλοῖς ἐνοχλούμενος, ἅτε νεωτερικόν τι εἰσφερόμενος, μήπως ἀδυνατήσω κᾀυτὸς χεῖρασοι βοηθείας παρασχεῖν. οὐκ οἶσθ᾽ ὦ φιλότης, ὅτι οὐ παρ᾽ ἐμοὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ πάσῃ τῇ καθ᾽ ἡμᾶς ἐκκλησίᾳ παρίσανται· σίγησον οὖν συνεχῶς τὸ παράπαν ὡς ἀνδρῶν ἄριστος· πρὸς τούτοις καὶ μετὰ τοῦ ἱερωτάτου φιλαδελφείας διαλλάγηθι, πάντα τὰ κατ᾽ αὐτοῦ, εἴτε τῷ τύπῳ, εἴτ᾽ ἄλλως τυγχάνοντα, πυρὶ δεδωκὼς κατὰ δύναμιν· οὕτω τοῖς περὶ ἐμὲ καὶ τῇ ἐμῇ με-

 τριό-

τριότητι οἷάπερ τὸ δίκαιον δέδοκται, οὐκ ἐχρῆ μετὰ τὴν ἀγάπην τὰς ὕβρεις τυπῶσαι ὡς ἑωράκαμεν· καὶ γὰρ Θεοδώρητος μείζων κυρίλλου, ἀλλὰ τῷ κατ᾽ ἐκείνου γράψαι πολλῷ μεῖον ἐγένετο· οὕτως οὖν γένεσθε καὶ μὴ ἄλλως. ἡ δὲ τοῦ Θεοῦ χάρις μετὰ τῆς σῆς εἴη Θεοφιλίας.

Τῇ κατὰ κωνσταντίνου πολιν συναθροισθείσῃ ἐν χριστῷ ἱερᾷ συνόδῳ, πατράσι παναιδεσιμωτάτοις καὶ κυρίοις ἐντιμοτάτοις μάξιμος παπήιος ἐπίσκοπος κυθήρων, πᾶν ὅ,τι σωτηριῶδες, καὶ εἰς θείαν ἧκον δόξαν, καὶ εὐαρέστησιν.

ἘΜοὶ μὲν, ὦ ἱερὰ καὶ Θεοσύλλεκτος τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ σύνοδος, καὶ λίαν ἂν ἦν καταθύμιον καὶ τὸ ὅλον χαριέστατον, ὀξεῖ τῷ τῆς προθυμίας καὶ ἀγάπης χρησαμένῳ πτερῷ, πρὸς ἡμᾶς τε παραγενέσθαι, καὶ τὴν προσήκουσαν ἑκάστοις ἀπονεῖμαι αἰδῶ. καίτι καὶ ἐκ τῶν ἐνόντων, εἰ καὶ τοῖς πᾶσι τοὺς πάντας ὑποβέβηκα, συνεισενεγκεῖν τῷ καλῷ καὶ Θεαρέστῳ ὑμῶν τῆς σπουδῆς, καὶ τῆς εἰς τὴν ἱερὰν τοῦ χριστοῦ ἐκκλησίαν ἐπαινετῆς διαθέσεως· ἐπειδὴ δὲ οὔτ᾽ ἐπετάγην τοῦτο διὰ κοινοῦ γράμματος ὑμετέρου καὶ ἰδίᾳ τῆς ἡμετέρας ἀρχῆς, οὔτ᾽ ἐπ᾽ ἐμοὶ κεῖται, τὸ εἰς ἔργον ἀγαγεῖν τὰ τῆς προαιρέσεως, καὶ ἄκων εἶναι λοιπὸν τὴν τοῦ ἱεροῦ συλλόγου τοῦ ὑμετέρου στέρησιν μεθ᾽ ὅσης ἂν εἴποι τις ἀθυμίας φέρων διατετέλεκα· ὃ μέν τοι μοι ὑπόλοιπον

ἦν,

SVaviſſima (2) mihi ea, quae duos illos adoleſcentes adtinent, certe proceſſere ex epiſtola, quam nuper mihi miſiſti, o mihi divinum caput (3) Gabriel, & bene res horum ſe habebant quoad eorum propoſitum, ut & ipſe tibi praece-

SCHOLIA IO. LAMII.

(1) *Gabriel Severus* Monembaſiotes, fuit deinde Philadelphiae Archiepiſcopus, ut inferius adparebit. Hieromonachus autem apud Graecos vocatur, Monachus Sacerdos. *Emmanuel* hic dicitur *Margunius*

denter ſcripſi. Illico enim reſpicienti inconſiderate, &, ut ita dicam, ſimpliciter ad propoſitum, hoc utique omnino adparuerit. Quoad vero propoſiti modum, & ipſe tibi adſtipulor, peſſime ipſos res ſuas adminiſtraſſe. Enimvero multus apud nos riſus excitatus eſt de ipſis, ab his, qui calumniari ſtudent, & quod alter ferme didicerit aberraturum ſodalem qui eum reliquit; & quod alter reverſus fuerit celerrime ad conſueta, quum neque gry, ut dici ſolet, Monachicam introductionem deguſtaverit. Sed quis novit an expediret errare illos in Monachico habitu, & an utile eſſet in eo permanere? Hoc quidem ipſe precor, & utinam in melius, & in hoc & in illo, res concidat. Ego vero iterum factum tuum laudo, o Gabriel, & tibi gratulor optima providenti; verumtamen hoc ſolum dicere habeo tibi, ne perſeveres in ſegnitie, ut

eo nomine, quo adpellabatur antequam Monachicum habitum ſumeret.

(2) Ἥδιστα legendum eſſe videtur in Graeco contextu; & *Ang. Mar. Riccius* Cl. Profeſſor Graecarum Litterarum in Academia Florentina cenſet vertendum eſſe, *ſuaviſſima mibi ea, quae de duobus illis adoleſcentibus vexabant, proceſſerunt*, & pro τὰ forte reponendum ἃ, quod honoris gratia hic obſervo.

(3) De hac phraſi vide, quae adnotavimus ad *Epiſtolam I. Glycae* pag. 38.

ut & quando Deus voluerit abundes iis, quorum indiges. Ita enim faciens, tibique ipſi & mihi maxima fueris largitus. Vetus Teſtamentum (1) multo ante typis editum eſt. Damaſceni vero Tetraodion (2) ſcribere nondum licuit ſecure mihi volenti. Tu vero mihi huius rei gratia veniam dabis, quoniam ſi oportet me verum dicere, neque poſſum ſubſtinere tantum aeſtum; & peſſime me quoad oculos habiturum, ſi ſanitatis curam non habuero, medici (3) me docuerunt. Tu vero pro illo hoc, quod nunc tibi mitto, utere, & philoſophare anima & corpore. Vale. Patavii. Boedromionis quinta ſtantis, Anno MDLXXIII.

(1) *Gabriel Severus* videtur petiiſſe a *Margunio* Vetus Teſtamentum typis deſcriptum, forte Venetiis. Nullae enim erant tunc temporis apud Graecos typographiae, ut ex *Steph. Gerlachio* liquet.

(2) In Graeco contextu τετραώδιον legendum eſt. Eſt vero *Tetraodium* Canon quatuor odis conſtans, qui in Sabbatis, praeſertim Quadrageſimae, cani ſolet. Canones quamplures a *Ioanne Damaſceno* compoſitos fuiſſe conſtat ex his, quae litteris mandat *Vilh. Caveus De Scriptor. Eccleſiaſticis*.

(3) In Graeco παῖδες ἰατρῶν *Filii Medicorum*, pro *Medici*: phraſis Graecis uſitata, ut apud *Homerum* υἷες ἀχαιῶν *Filii Achivorum*, pro *Achivi*; apud caeleſtes litteras *Filiae Sion*, & *Filii Iſrael*, pro *Iſraelitae*, & *Sionitides*.

Sanctiſſimo Hieromonacho Domino Gabrieli Severo Emmanuel Margunius bene agere.

MIhi ſane omne & ſtudium & cura eſt quotidie, praeter alia, noſtri dogmatis veritatem pro virili portione extendere, o mihi divinum caput Gabriel; non parum ſiquidem mihi videtur opportune laedi, quod eos pati arbitror, qui ne parvum quidem ſtudium impendunt, quum maxime iucundum ſit res huiuſmodi adgredi, & ne quatenus quidem poſſunt; neque omnino diſcendi cupiditatem circa huiuſmodi res ampleċtuntur, dummodo ipſi conſequuti fuerint poſſe & ſermone, & opere iis, qui eorum dogmati adverſantur, occurrere; & haec non audaċter (1). Mihi id ſane ita, & alii, curae eſt, & curae erit ſemper. Cur enim huiuſmodi non recorder? Hoc ſolum ignorantiam eius perſpicue probat, qui abiecerit aliquod ſtudium. Non enim eſſe diſcendi cupidus prohibeor, qui amor donec mihi adſit, Deo propitio, a volente omnia facillime perficiuntur. Sed ad quid haec dicis, o Emmanuel? Nuper a me pauca quaedam de huiuſmodi rebus Nicolao ex ſoda-

(1) Forte ſubintelligitur *dicta ſunt*.

dalitio Cruciferorum (1), noſti, arbitror, virum, qui Vicentiae verſatur, ſcripta fuerunt, in quibus optime ſe ſe habebant & ea quae noſtram religionem adtinent, & alia; & myſterium declaravimus de proceſſione Sanctiſſimi Spiritus (2), & nihil abſurdum nihilque abſonum a noſtrorum Theologorum ſententia, nos colere (3); ſed e contra omne, quodcumque ſanum, opinari; & hoc ſuperius multum confirmavimus, quoad fieri potuit. Hunc igitur finem litteris addidi. Rogo utique ut horteris ipſum & moneas, ut quam celerrime reſcribat mihi quam habeat de his ſententiam. Eſt enim ſapiens vir, & amicus, & omnium maxime peritus, vel

(1) Videtur hic eſse aliquis ucullatus ex Familia eorum, qui vulgo *Trinitarii* adpellantur, & redimendis captivis ex inſtituto operam navant.

(2) Ea *Margunius* de Spiritus Sancti proceſſione ſentiebat, quae a Graecorum haereſi recedere viderentur, & haec eſſe Graecorum Patrum dictis conſona adfirmabat; ſed hic nondum videtur ita ſenſiſſe.

(3) *Manuel Margunius* de proceſſione Spiritus Sancti commentaturus dogmati Latinorum conſentanea, quum utramque Eccleſiam conciliare ſtuderet, ut diximus in *Prefatione ſecundae Partis Epiſtolarum Glycae pag.* XXIX. videtur hic a *Nicolao Crucifero* requirere veram Latinorum ſententiam, & quae ab his Graecorum opinioni obiiciantur.

melius dicam, ſciens; ſi aliquo modo reſpondendum eſt, iis quae a me dicta ſunt in illis, ſignificet mihi. Illi vero reſcripſimus: nihil autem de his, quae volebam, reſpondit. Et, rationabilem, neſcio an inferiorem, cauſam quum invenerit, ne inferior, ni fallor, nobis adpareret, definitionem quamdam Concilii Florentini una cum litteris ad me miſit (1). Ego vero quum eam legiſſem, neſciebam quid dicturus eſſem de Patriarchis, & de ipſo tunc imperium moderante Palaeologo (2). Hac de cauſa ad te litteras dare animum induxi, utpote qui maximum ſtudium in his poſueris, & definitionem ſimul tibi mittere, ut quid tibi videatur de hac, & quomodo huic occurrendum ſit, a te diſcerem. Te ſane, o mihi divinum caput, hortor ut id quanto ocius perficere digneris; dupliciter enim mihi gratificatus fueris, celerrime mihi gratificatus (3); & in tuis ad Dominum orationibus

(1) Scilicet *Nicolaus* ille *Crucifer*.

(2) *Ioannes Palaeologus* Imperator, qui Concilio Florentino interfuit anno MCDXXXIX.

(3) Iuxta illud: *Bis dat, qui cito dat. Lucianus*:

Ω'κεῖμαι χάριτες γλυκερώτεραι, ἢν δὲ βραδύνῃ
πᾶσα χάρις κενεὴ, μηδὲ λέγητοχάρις.

Ovidius III. de Ponto.

Gra-

bus mei precor reminiſcaris. Vale anima & corpore. Salutetur meo nomine per te veneranter diviniſſimus Archiepiſcopus Selimbriae (1). Patavii. Duodecima Boedromionis, anno MDLXXIII.

Gratiaque officio, quod mora tardat, abeſt. *Auſonius:*

Gratia quae tarda eſt, ingrata eſt: gratia namque
Quum fieri properat, gratia grata magis.

Et:

Si bene quid facias, facias cito; nam cito factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

(1) Haud fieri potuit, ut nomen huius urbis, quod per compendium ſcriptum eſſet, a me in Graeco Archetypo intelligeretur, ſed Μησεμβρίας legendum eſſe videtur, vel Σελιμβρίας.

Sanctiſſimo Hieromonacho Gabrieli Severo Emmanuel Margunius bene agere.

ACcepi tuas litteras per Reverendiſſimum Patrem Dominum Ionam, o divinum mihi caput Gabriel, quibus mihi multis vere rebus impedito quanto ocius reſpondere non fuit. Ego enim, ſi quis alius, magnum quoddam exiſtimo incur-

rere in litteras ſapientium virorum, & his viceverſa, quando ſum in ſecuritate, reſpondere. Sed non omnia quae volumus nobis perficere licet. Eſt opus opportunitate, & praeter haec multa ſunt impedimenta, quae aliquando alacritati occurrunt. Veniam igitur cauſa eorum quae dixi, apud te tarditatis accipiam: &, quandoquidem inſuper manifeſte, ni fallor, philtrum, quo in te propendeo, noſti, haud profecto incuriae me accuſaveris. Et haec quidem mihi dicta ſint effugienti futuram veluti accuſationem per huiuſmodi defenſionem. Ego vero, etſi in praeſentia non ago huiuſmodi otium, quale utique habere neceſſe eſt eum, qui ad te ſcribere velit, ne pariter officium deſeram, ex tempore, ut facio, haec ſcribere conſtitui. De patre quidem noſtro Mercurio ſcias non amplius adflictum permanere, ſe ipſum enim parumper ſublevavit, & de morbo melius ſe habet Dei gratia, & propediem hoc liberatum iri confido. De Fratre vero Nicolao (1), nihil novi, egoque ulterius procedere nolui ipſi reſpondens, eo quod non percurrerim quae octavam Synodum adtinent; & ille nihil amplius de hoc ex eo tempore reſpondit, ferme tamquam ad nos, ut per epi-

(1) Frater hic *Nicolaus* eſt Crucifer ille, de quo in Epiſtola antecedenti.

epiſtolam ſignificavit, venturus. Tu vero ſi interim dictam Synodum miſeris mihi maxima fueris elargitus. De Vetere vero Teſtamento, vel potius dicam, de iis, qui illud exponunt, nihil habuit mihi dicere ſapientiſſimus Pinellus (1), praeterquamquod quidam liber editus eſt, qui ita inſcribitur: *Oeconomia Bibliae Eden*, & eorum omnium, qui illud expoſuerunt, indicem habet. Tu vero huius tantum gratia ſi apud bibliopolas hunc exquiſiveris una cum erudito Michaele Eparcho, facillime utique inveneris id quod quae-

(1) *Pinelli* plures memorantur, viri docti omnes. Sed hic *Pinellus* eſt *Io. Vincentius* litteris doctrinaque clariſſimus, natus Neapoli anno MDXXXV. qui anno MDLVIII. Patavium ſe contulit, ubi anno MDCII. naturae conceſſit. Inſtructiſſimam Bibliothecam, & antiquorum Monumentorum Muſeum, poſſidebat vir πολυμαθέστατος καὶ πολύγλωττος, quem convenerunt anno MDXCVIII. duo Cardinales doctiſſimi, *Caeſar Baronius*, & *Robertus Bellarminus*, eius ſcientiae fama perducti; quemadmodum eruditi fere omnes faciebant. Vir humanitate etiam & liberalitate praeſtantiſſimus libros ſuos, etſi manu exaratos, omnibus libenter commodabat, quidquid opum litterariarum poſſideret, in quoslibet effundere paratiſſimus. Eius Bibliothecae, Neapolin transferendae, maximam partem Senatus Venetus retinuit; ut videre eſt apud eius vitae Scriptorem *Paulum Gualdum*.

quaeritur (1). Si enim hunc poſſideret Pinellus, non eo utique aliunde indigeremus. Et de his quidem ſatis. Tu vero, o divinum mihi caput, philoſophare circa divina, & te amantem ama. Conſtantinus (2), qui praeſens eſt iis, quae nunc a me ſcripta ſunt, ſalutat te per me quam maxime. Patavii. Boedromionis ſecunda deſinentis anno MDLXXIII.

(1) *Michael Eparchus* Corcyraeus διδάσκαλος καλὸς Venetiis cauſas agebat, ut ex *Cruſii Turco-Graecia*, & *Fabricii Bibliotheca Tom. X.* conſtat.
(2) Quis hic *Conſtantinus* ſit incertum.

(1) *Eiusdem eidem.*

MIhi quidem, o Gabriel, divinum caput, quotidie fere quae fidem attinent periclitantur; tu vero, ut mihi videtur, hoc nihil

(1) Hanc Epiſtolam primus Latine vertit, & una cum Graeco contextu publici iuris fecit, eruditiſſimus & nunquam ſine laude memorandus *Scipio Maffeius* Marchio Veronenſis, in ea Epiſtola, quae ad Abbatem *Bacchinium* contra *Pfaffium* ſcripſit; & Tomo XXVI. Ephemeridum Eruditorum Italiae inſerta eſt. Eius liberaliſſimae humanitati ipſe, & eruditi omnes, debemus, harum Graecorum recentiorum Epiſtolarum editionem, utpote ei, qui Codicem earum MS. mihi lubentiſſime commodavit.

nihil curas. Reliquum eſt, ut inſpicias quaenam iactura ſit. Nam quum ego tibi tranſactis diebus, quomodo res meae ſe habeant, aperuiſſem, quumque libros quosdam a te petiiſſem, etiamſi mittere volenti tibi non liceat, reſpondere tamen decebat. Nonne hoc modo te ipſum ſimul ac me iniuria adficis? Mihi quidem, & meum dicere eſt, maxime patet. Quomodo enim non, quum certamen commune ſit, & certaminum quidem omnium maximum ac praeſtantiſſimum? Scias ergo me acta Florentinae Synodi (1) qua maxime potui diligentia percurriſſe, Patrumque noſtrorum, qui in ea ſederunt, ſubſcriptiones inſpexiſſe, ac demum me cum iis conſentire, ni melior quaedam ſubeat interea cogitatio, ſtatuiſſe: Cara enim mihi vere ſunt, & genus, & patria, & genitores, carior tamen omnibus veritas eſt. En igitur quomodo res meae ſe habeant declaravi. Ad te pertinet,

ſi tibi

(1) Memoratus Vir Clariſſimus *Scipio Maffeius* recte heic obſervat Graecos, etiam ſchiſmaticos, Acta Concilii Florentini non parvi pendere; licet id non profiteantur palam, & potius contrarium ſimulent. Id quidem ex hac *Margunii* Epiſtola liquet; quamquam *Margunius* iam quoad proceſſionem Spiritus Sancti in Latinorum ſententiam diſceſſiſſet. Conſule *Praefationem meam in Partem II. Epiſtolarum Glycae*.

ſi tibi cura eſt aliqua meae, quid meae dico? noſtrum omnium ſalutis, meliori conſilio nobis proſpicere: at id quidem ex veritate. Neque enim decet, ut dixi, id quod Deo diſpliceat proferre, quia cum dogmate noſtro conveniat. Hoc enim ſupplicio quovis dignum eſt, aut timentes, & ut ita dicam ibi timentes, ubi non eſt timor, eorum, quae a nobis recte creduntur, quidquam deſerere (& id quidem ad libertatem ſpectans maxime) ſed veritati, ſicuti Deo placet, audacter litare. Ego enim patrium dogma ſemper quidem ſervavi, & ſatius mihi fuiſſet mori, quam illud ne pauxillum quidem violare, aut praeterire: nunc vero poſtquam Latinos in iis, quae credunt, minime aberrantes video, adiungi & ipſe eorum ſententiis decrevi in iis, quae recte ſe habent, noſtriſque Patribus non diſplicent, ut in proceſſione Spiritus Sancti ex Filio. Quod ſi hoc ex ignorantia facio, tibi maxime imputandum erit, quum tibi ad iudicandum de his, & ad meliora admonendum maxime idoneo expoſuerim omnia. Si igitur aliquid habemus quod his dogmatibus opponamus, & per quod liceat ab iis, quae Florentiae ſancita ſunt, recedere, ſcribes mihi precor, quam citiſſime. Quid enim mihi per Deum immortalem iucun-

cun-

cundius, quam ea loqui quae Deo gratiora ſint. Quod niſi praeſtabis (abſit hoc quidem) optimum puto Servatoris minas te ob talia meminiſſe. At de his ſatis; propere enim, ut mihi licuit, & ſine ſtudio, haec ſcripſi. Noli oro praetextus adferre, neque alios in hoc impellere, ut quae ad fidem ſpectant, occulte cuſtodiant, velut paventes, & non recte opinantes: ſed hortare potius, ut ea publice confirment, memores effati: *Quicumque negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in caelis eſt.* Tu vero, divinum mihi caput, fidei meae fulcrum, quum mihi reſcribere volueris, libros illos ad me ſimul mittas precor.

Patavii XI. Poſideonis Anno MDL XXIII.

Eiusdem Eidem.

NE ſuccenſeas amico tuo exigui erroris cauſa, quandoquidem tu quoque ſuffragium tuliſti, ſive bene, ſive aliter, Obſervande; aliaſque res meae modi capaces non fuere hac tertia die negligenter (1). Etenim me non latuit, egoque cau-

(1) Quid ſibi velit hoc loco illud ἀνυχοῦς, ignoro prorſus: nec ex eo rectum ullum ſenſum exprimere valeo. Forte ſubintelligendum *ſe habentes*.

cauſam declaravi, cur hic tantum retinear, & quomodo deliberaverim omnino praebere, & invenire conſolationem quamdam vel liberationem accidenti, vel, ut melius dicam, iis, quae contra me, molitur peior quaedam inſpiratio; non ſane eodem modo meum propoſitum mutatum eſſe, ſed potius vigere, & ulterius alacritate ferri. Quae igitur tibi venia in tantis contra me ipſum inventis? Non utique defenſione digna quae mihi ſcripſiſti. Num alium Proteum me eſſe putaviſti? Ego vere putabam te prope alium me eſſe, & talia contra me numquam ſubſpicatum (1). Nunc vero, neſcio quomodo audeo dicere, ſpe cecidi, quod tu me talem, qualem video aut audio, imagineris. Verumtamen mihique, & tibi volenti haec hucuſque ioci gratia acta ſint. Perſuaſus enim ſum talem te eſſe erga me, qualis prius fueras. Si vero a te aliquid, ut uſuvenit, ſcriptum fuerit contra me, hoc tuae naturali iracundiae adtribuo. Ipſe vero de cetero haud iniuria aliquid dicam de rebus meis. Tu quidem omiſiſti curam

(1) Alexander Macedo Darii Regis matri Hephaeſtionem pro Alexandro, errore ductae, tamquam Regem ſalutanti, ne culpam deprecaretur vetuit adfirmans, Hephaeſtionem eſſe alterum Alexandrum.

ram Eccleſiae, utique ut dicis, propter me, & ſi quid aliud huiuſmodi. Ego vero (& huius mihi teſtis oculus omnia videns) & patrem, & reditum quemdam ad me pertinentem, ut & ipſe noſti, & non parvam quietem, & non exiguas occaſiones illorum, qui me hinc & illinc multis requirebant promiſſionibus (omitto ea, quae Epiſcopum ſpectant) & multa alia nonne propter te relinquo? Non quod ſuſtinuerim una tecum aberrare, & convivere, &, ſi neceſſarium ſit, honeſte una mori; & ſi haec omnia, ut verum dicam, propter Chriſtum prius ſtatui. Tibi vero & diſcere licet ab aliis, quae Cuſtos Bibliothecae Beſſarionis (1) promittit mihi. Dico vero verſionem in Latinam linguam librorum, qui illic ſunt. Quod, ſi quid aliud, lubenter acceperim. Certe iuxta te inſtabilis erat ſententia mea. Reſtat igitur tibi palinodiam canere de iis, quae ſcripta ſunt: mihi vero, ut praecedenter dixi, concedere tuae naturali iracundiae. Non enim utique arbitror a te talia ſcripta fuiſſe,

(1) *Beſſarion* Trapezuntius, Archiepiſcopus Nicaenus, S. R. E. Cardinalis, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, Concilio Florentino interfuit, in quo dogmata Latinorum egregie ſubſtinuit, & Graecos ſuos ad fidem orthodoxam amplexandam induxit. Vir

ſe, non prius ira praeter neceſſitatem proponente. Vale, & ignoſce mihi ignoſcenti, & te amantem ut alium me, ama; & bona ſpe eſto, res meas, quaſi me ferme excipiens, ut tibi volenti licet; & confuſam Epiſtolam nemini oſtendas, quod requirit ipſum negotium a me factum.

Patavii, Boedromionis decima, anno MDLXXV.

Sa-

Vir pietate & doctrina celeberrimus eximiam Bibliothecam poſſidebat, quam Senatui Veneto donavit anno MCDLXIX. cuius Codicum Catalogum praeſtantiſſimus B. *Montfauconius* dudum exhibuit in ſua *Bibliotheca Bibliothecarum Codicum MSS.* Sed quum ipſe hunc Catalogum luculentiorem & exactiorem ex Riccardiana Bibliotheca erutum, & ipſi, ut videtur, prope *Beſſarioni* σύγχρονον habeam, non ingratam rem Eruditis me facturum arbitror, ſi illum heic iterum publici iuris faciam. Eſt vero qui ſequitur.

TAbula Librorum, tam Graecorum, quam Latinorum, quos Reverendiſſimus in Chriſto Pater Dominus Cardinalis Nicaenus, ac Epiſcopus Albanenſis, dono dedit Sereniſſimo, & Excellentiſſimo Ducali Venetiarum Dominio: qui reconditi (pro ut Roma tranſmiſſi fuerant) in capſis XXX. commendati fuere magnificis, & generoſis Dominis Procuratoribus aedis Divi Marci, tantiſper quoad in-

inſtruatur, & exornetur domus aliqua, Bibliothecae, in qua reponi debent pro communi ſtudentium utilitate, ac decore, & ornamento Vrbis huius celeberrimae.

In Capſa ſignata A ſunt Codices hi, quorum inſcriptiones hec infra adnotatae videntur.

Totus Ariſtoteles praeter logicam in pergamenis & novus.

Phyſica eiusdem cum expoſitione uſque ad quartum librum cuiusdam alterius. Deinceps Simplicii, in pergamenis, & eſt liber pulcher.

Phyſica eiusdem, cum expoſitione Simplicii in pergamenis.

Simplicius in praedicamenta Ariſtotelis: ac cuiusdam alterius expoſitio in primum, & ſecundum de Anima in pergamenis pulcher.

Theophraſtus de plantis in pergamenis.

Philoponus in librum de generatione, & corruptione, & Alexander in meteora, in pergamenis.

Logica Ariſtotelis cum expoſitionibus ad topicam uſque, in papyris.

Phyſiognomonica, paradoxa, mechanica, & problemata Ariſtotelis in papyris.

Rhetorica Ariſtotelis, & nonnulla parallela Plutarchi, in papyris.

Alexandri quaeſtiones naturales, morales, & de anima, in pergamenis.

Quaedam epigrammata & moralia Ariſtotelis magna, & Eudemica, partim in papyris, partim in pergamenis.

Sexti Empirici in mathematicos, in papyris.
Interpretatio multorum in logicam, in papyris.
Metaphraſis in logicam, in papyro.
Quaeſtiones cuiusdam Ioannis Italici in logicam, & topicam in pergamenis.
Ammonii in praedicamenta Ariſtotelis.
Simplicii in librum de Coelo, & Mundo imperfectus, & inordinatus; & erotemata Ptochoprodromi, in papyris; &
Chortaſmeni in logicam & Rhetoricam in papyris.

In Capſa inſcripta E. quae eſt ponderis librarum 230. ſunt volumina infraſcripta.

Evangelium Matthaei cum expoſitoribus, in pergamenis.
Olympiodori in quosdam Dialogos Platonis in pergamenis.
Arrianus in Epictetum, in papyris.
Plotini nonnullae orationes, in pergamenis.
Maximi Platonici orationes, in pergamenis.
Iamblichi in Epiſtolam Porphyrii, in pergamenis.
Porphyrii Dialogus in praedicamenta Ariſtotelis, & dialecticam, & arithmeticam, theologicam, in pergamenis.
Simplicii in tres libros de anima, & Proculi, & Hermae, in quosdam Dialogos Platonis, in pergamenis.
Herodiani de octo Caeſaribus, & Zoſimi hiſtorici, in pergamenis.
Heliodori Ethiopica, in pergamenis.

Pho-

Phocylidis , Theognidis , Pollucis , & alia quaedam , in papyris .
Hiſtoria Pachimeris , in papyris .
Et Xenophontis Aſcenſus Cyri , in papyris .
Philonis orationes nonnullae , in pergamenis .

In Capſa ſignata C ponderis Librarum 210.
ſunt Libri infraſcripti .

Homeri Ilias , Odyſſea , Hymni , Bellum murium , & ranarum ; Quinti ſupplementum Iliadis , in pergamenis .
Homeri Ilias , in pergamenis liber pulcherrimus ,
Homeri Odyſſea , in papyris ,
Euſtathii in Odyſſeam , in pergamenis .
Euſtathii in primos novem libros Iliadis in pergamenis .
Carmina Gregorii Nazianzeni , in pergamenis .
Arati poetae , Lycophronis , in pergamenis , cum Expoſitoribus .
Erotemata antiqua , in pergamenis .
Euripidis , in papyris , Tragoediae tres .
Ariſtophanis comoediae tres , & Sophoclis Tragoediae quatuor , in papyris .
Et Nicandri theriaca , in pergamenis .

In Capſa ſignata D ponderis librarum 225.
ſunt volumina infraſcripta .

Omnia opera Platonis in eodem & pulcherrimo volumine , in pergamenis .

Omnia Moralia Plutarchi in eodem volumine, in pergamenis.

Proculi in Parmenidem Platonis, in pergamenis novus liber, & pulcher.

Proculi in Theologiam Platonis, & Hieroclis in aurea carmina Pythagorae, novus liber, & pulcher.

Proculi in Timaeum Platonis, in pergamenis, novus liber, & pulcher.

Platonis nonnulli Dialogi, & de Rep., in pergamenis.

Platonis Dialogi xxxvIII. in papyris, & Vita ipſius in principio.

Iamblichi, De Vita Pythagorae, in pergamenis.

Plotini opera omnia, in papyris.

Damaſceni de principiis in Parmenidem, in pergamenis.

Proculi duo libri de Theologia Platonis, & elementalis eiusdem Theologia.

Hiſtoria de rebus geſtis Mauritii Imperatoris libri octo, & Aeſculapii Tradani expoſitio in Arithmeticam, in pergamenis.

Nicephori Gregorae, in pergamenis.

Xenophontis poſt Thucydidem, & de dictis & factis Socratis, & aliae quaedam orationes, in papyris.

Ioſephi De Captivitate, in pergamenis.

Ioſephi De Captivitate, in pergamenis, & Zonarae, & Coniatae hiſtoriae, in papyris.

In Capſa ſignata E ponderis librarum 230. ſunt codices infraſcripti.

Diodori hiſtorici a x. in xx. librum, in papyris.

Dio-

Digitized by Google

Diodori ab XI. ad XV. uſque, in pergamenis.
Apiani hiſtoriarum Romanarum, & aliarum, in papyris.
Theogenis & Chariclae, in pergamenis.
Diodori libri V. primi, in papyris.
Dionis Romanarum hiſtoriarum, in papyris.
Herodoti in papyris, & Iuliani quaedam orationes.
Chronica cuiusdam, in papyris.
Demoſthenis orationes omnes, in pergamenis.
Strabonis ab XI. uſque ad finem, cum adnotationibus Gemiſti, in papyris.
Plutarchi parallela omnia, liber pulcherrimus.
Iſocratis orationes XXI. & Dionyſii de nominum compoſitione.
Syriani Sophiſtae, & aliorum in nonnullas partes Rhetoricae, in pergamenis.
Libanii declamationes, in papyris.
Lyſiae orationes XXIX. Dionyſii, de charactere Lyſiae; Gorgiae in laudem Helenae.
Aladamantis orationes duae; Antiſthenis orationes duae; Demadis oratio una.
Agathiae hiſtoriae quinque libris, & de nominibus, & ordinibus antiquorum.
Theognidis poetae; Phocylidis; Aurei verſus Pythagorae; Moſchi Siculi.
Muſaei Hero, & Leander, Dionyſii Longini de magnitudine orationis, in pergamenis, &c.
Naucratis convivia libri octo in pergamenis.
Thucydidis hiſtoria, in papyris.

In Capſa ſignata F ſunt libri infraſcripti ponderis librarum 240.

Dionis Chryſoſtomi orationes octoginta, in pergamenis.

Dyoniſii Halicarnaſſei, Demetrii Phalerenſis, Alexandri, Menandri, Ariſtidis, Apſinis, Monita oratorum multa, & praeclara de ratione dicendi.

Orationes Libanii, in papyris.

Epiſtolae cuiusdam Michaelis Gabrae, in papyris.

Libanii Declamationes, in pergamenis.

Libanii Epiſtolae, in papyris.

Quaedam opera Ariſtidis; Proculi naturalis elementatio; legalia quaedam Alcinoi de dogmate Platonis, in papyris.

Ariſtidis orationes, in pergamenis.

Dionis Romanarum hiſtoriarum ad xxxxiv ad quinquageſimum uſque nonum, in pergamenis.

Ariſtidis orationes, in papyris.

Rhetorica Hormogenis, Arithmetica Nicomachi, Geometriae libri ſex, & Geodeſia in papyris.

Rhetorica Hormogenis, in papyris.

Demoſthenis orationes quinquaginta, & epitaphia Lyſiae, in papyris.

Demoſthenis orationes xxii, prooemia concionatoria, vel demegorica, & Epiſtolae ſex, in pergamenis.

Euclidis Geometria, in papyris.

Cleomedis tabulae Perſicae; Eriſocinae Arithmetica, & imagines Philoſtrati.

Liber in quo ſunt iudicialia complura, in papyris corio rubeo.

Al-

Alter ſimilis, corio nigro.
Tabulae Perſicae; & deſcriptio Aſtrolabii in papyris.
Ptolemaei Almegiſti, in pergamenis.
Ptolemaei Geographia, in pergamenis.
Cleomedis, in papyris, &
Ptolemaei Quadripartita cum expoſitione, & multa alia in Aſtronomiam, in pergamenis.

In Capſa ſignata G ponderis librarum 240. ſunt libri infraſcripti.

Geometria Euclidis, & Data eiusdem, Sphaera Theodoſiii, Apparentia, & Catholica Euclidis, Logica Barlaam, & Almageſti Ptolomei, in papyris.
Almageſtus Ptolemaei cum expoſitione Theonis liber pretioſus, in papyris.
Geometria Euclidis, & aliorum multorum auctorum numero XVIII. theoremata geometrica, liber pretioſus, in papyris.
Albacus Grece, Geodeſia, tabulae Perſicae, tabulae Theonis, Proculi in Aſtronomiam. Quadripartita Ptolemaei, & alia in Aſtronomiam, in papyris.
Magni Logothetae in Aſtronomiam, in papyro liber unus.
Muſica Ptolemaei cum expoſitione Laurentii, in papyro.
Tabulae Ptolemaei in compendium redactae, in papyro.
Quaedam tabulae Aſtrologicae parvo volumine, in pergamenis.

Arithmetica Nicomachi; Arati Phaenomena, Cleomedis, & ſex libri Geometriae, in papyris.
Arithmetica Nicomachi Philoſophi, in papyris.
Cleomedis cum expoſitione, & Arithmetica cum expoſitione Philoponi, in papyris.
Cleomedis, & Arithmetica Diophanti libri ſex in papyros
Liber legalis compendium Armenopoli, in papyris.
Liber legalis in alphabetum, in pergamenis.
Similis, in pergamenis, &
Similis, in pergamenis.

In Capſa ſignata H ponderis librarum 230. ſunt libri infraſcripti.

Epitoma LX. librorum legum per alphabetum, in pergamenis.
Inſtitutiones Graecae, in pergamenis.
Liber legalis, Compilatio, & collectaneum trium Imperatorum, in papyris.
Meletius de natura hominis, in papyris.
De cura equorum multorum auctorum, in pergamenis.
De varietate, & virtute elementorum, in papyris.
Dioſcorides in medicinam, in pergamenis.
Oribaſii in medicinam, in papyris libri quatuor, & de Agricultura diverſorum auctorum, in papyris.
Actuarii de urinis, in papyris.
Pauli AEgietae medici, in pergamenis.
Euſebii de Conſtantini Vita, in papyris.
Legum epitoma, & Canones Conciliorum, in pergamenis.

Liber

Liber legalis trium Imperatorum, in papyris.
Photii narratio eorum quae legerat, in pergamenis.
Alter ſimilis, in pergamenis.

In Capſa ſignata I ponderis librarum 230. ſunt libri infraſcripti.

Climacus cum expoſitione, in papyris.
Euſebii Evangelica praeparatio, in papyris.
Acta quarti Concilii, in papyris.
Acta quinti Concilii, in pergamenis.
Acta Synodi contra Photium, & alterius pars, in papyris, conſumpta in pergamenis.
Acta Concilii Florentini.
Sancti Dionyſii Ariopagitae omnia opera in pergamenis, liber pulcherrimus.
Philoſophia, & Theologia Damaſceni, in pergamenis.
Alter liber ſimilis, in pergamenis.
Alter liber ſimilis, in papyris.
Sancti Thomae primus, & ſecundus contra Gentiles Graece, in papyris.
Eiusdem ad Sanctorem Antrocherium, & prima primae Graece, in papiris.
Acynidini quaedam opera; & Prochori de attributis, in pergamenis.
Nicolai Cavaſilae de Vita, in papyris, in x.
Sancti Baſilii orationes, in pergameno monaſtice.
Eiusdem de eadem re, in pergamenis, &
Eiusdem de eadem re, in pergamenis.
Cinoi de Proceſſione Spiritus Sancti, in pergamenis

In Capſa ſignata K ponderis librarum 240. ſunt libri infraſcripti.

Zonarae hiſtorici a Mundi creatione ad imperium uſque Alexii, in papyris. Deeſt parum, & in principio, & in fine.
Alexandri, & Ariſtotelis problemata, in papyris.
Galeni decem tractatus, in pergamenis.
Theonis in Platonem de mathematicis, in pergamenis.
Ariſtidis orationes, in papyris.
Moralia Plutarchi, in pergamenis.
Luciani orationes, in papyris.
Acta ſexti, & ſeptimi Concilii, in papyris.
Moralia Plutarchi, & Ariſtidis orationes, in papyris.
Epiſtolae multorum pulchrae in papyris.
Dialogus Planudis in Grammaticos, & Ovidii Metamorphoſes Graece, in papyris.
Flores ex diverſis Auctoribus per quemdam Macarium, in papyris.
Multa in Grammatica, in papyro.
Gregorii Nazianzeni de homine, & Baſilii contra Eunomium, in pergamenis.
Baſilii Hexaemeron, & contra Eunomium, in pergamenis.
Baſilii in Iſaiam, in pergamenis.
Epiſtolae Pauli Graece, & Latine, & Hebraice.
Dogmatica armatura, in papyris.
Excerpta de Sanctis Doctoribus, in pergamenis.
Quaedam orationes Chryſoſtomi in pergamenis.
Liber Monaſticus Antiochi, in pergamenis.
Origenis Philocalia, in pergamenis, &

Com-

Commentaria quaedam in orationem Gregorii Nazianzeni, in pergamenis.

Heic eſt, ut videtur, duarum litterarum hiatus, nam littera N litterae O poſtponitur, adeoque duae litterae deſunt, vel Librarii incuria omiſſae, vel alia de cauſa mihi ignota.

In Capſa ſignata O ponderis librarum 230.
ſunt libri infraſcripti.

Gregorii Nazianzeni ſermones cum gloſſis, in papyris.
Leges in compendium redactae, & canones Conciliorum, in pergamenis.
Leges navales Rhodiorum ex 14. libro digeſtorum, & aliae, in pergamenis.
Orationes Gregorii Nazianzeni, in pergamenis.
Prima pars Sancti Thomae Graece, in pergamenis.
Chryſoſtomi homiliae in diverſas auctoritates Evangelii pulchrae, in pergamenis.
Eiusdem Margaritae, in pergamenis.
Eiusdem in Epiſtolam ad Ebraeos, ad Philippenſes, in pergamenis.
Eiusdem in Ioannem prima pars in pergamenis, & Homeliae Chryſoſtomi ex ipſius Sermonum floribus compoſitae.

In Capſa ſignata N ponderis librarum 230.
ſunt libri infraſcripti.

Cyrillus in Ioannem, in papyris.

Chry-

Chryſoſtomi in primam partem Matthaei, in pergamenis, initium a xv. Homilia.

Eiusdem in eumdem, in pergamenis, initium a tertia homilia.

Sancti Baſilii Hexaemeron, & moralia, in pergamenis.

Chryſoſtomi in ſecundam partem Ioannis, in pergamenis. Incipit a lv. Homilia.

Sancti Dionyſii Ariopagitae omnia opera, in pergamenis.

Sancti Baſilii in Iſaiam, in pergamenis.

Contra Agarenos per Iudaeos, in papyris.

Chryſoſtomi Andriantes, in pergamenis.

Chryſoſtomi Homiliae quaedam, inter quas ſunt quinque in Beati Pauli laudes, in pergamenis.

Chryſoſtomi in Ioannem ſecunda pars, in pergamenis, &

Quaedam Gregorii Nyſſeni, Euſebii, Origenis, Zachariae, Eneae, Theophili, & Epiphanii, in pergamenis.

In Capſa ſignata P ponderis librarum 230. ſunt libri infraſcripti.

Orationes multorum Doctorum in variis feſtis. Incipit quinta Septembris. Finit in laudem Ioſephi, in pergamenis.

Metaphraſtae menſis Novembris a xvii. in finem uſque.

Vitae Sanctorum menſis Martii, & Aprilis in pergamenis.

Metaphraſtae ſecunda pars menſis Ianuarii, in pergamenis.

Ona-

Orationes octo ex quibus tres Sancti Baſilii , & quaedam aliae , in pergamenis.
Metaphraſtae menſis Novembris a XVII. in finem uſque , in pergamenis.
Multi Sermones Beati Gregorii Nazianzeni , in papyris .
Metaphraſtes de menſe Decembris , in pergamenis , a medietate , & ultra.
Metaphraſtes de vita Sanctorum , in pergamenis a medietate & ultra de menſe Decembris.
Metaphraſtes de menſe octobris , in pergamenis , &
Laudes Beatae Virginis , & multorum Sanctorum , in pergamenis.

In Capſa ſignata Q ponderis librarum 240. ſunt libri infraſcripti.

Sermones Panegyrici diverſi , in pergamenis.
Expoſitio in Lucam ; Carmina Nazianzeni cum expoſitione Dionyſii Ariopagitae , cum expoſitione theologica Damaſceni. Expoſitio in Apocalypſim , & alia multa , in papyris.
Metaphraſtae ſecunda medietas Novembris , in pergamenis.
Metaphraſtae de Vita Sanctorum menſe Decembris a prima medietate , in pergamenis.
Metraphraſte Novembris prima medietas , in pergamenis.
Metraphraſtae Ianuarius , in pergamenis.
Sancti Epiphanii Panaria , in pergamenis , &
Sancti Maximi orationes , in pergamenis diverſae.
Metaphraſtae menſis Novembris , ſecunda pars in pergamenis.

In

In Capſa ſignata R ponderis librarum 130. ſunt libri infraſcripti.

Sancti Cirilli ad Palladium de Latria in ſpiritu, & veritate, in papyris.
Epiſtolae Sancti Gregorii Nazianzeni, in pergamenis.
Sermones Sancti Gregorii Nazianzeni, in pergamenis.
Sancti Athanaſii, in pergamenis.
Sermones Sancti Chryſoſtomi in Epiſtolam ad Romanos, in pergamenis.
Sermones diverſorum Doctorum de Vita Sanctorum menſis Iulii, & Auguſti, in pergamenis.
Chryſoſtomi expoſitio in Epiſtolas Pauli ad Corinthios, ad Philemonem, ad Titum, & ad Galatas, in pergamenis.
Sancti Ioannis Damaſceni parallela, in pergamenis, &
Cyrilli theſauri, in pergamenis.

In Capſa ſignata S ponderis librarum 240. ſunt libri infraſcripti.

Chryſoſtomi in Acta Apoſtolorum, in pergamenis.
Chryſoſtomi in Epiſtolas ad Epheſios, Philippenſes, ac Coloſſenſes, in pergamenis.
Sancti Chriſoſtomi in primam partem Sancti Ioannis Evangeliſtae, in pergamenis.
Expoſitio Chryſoſtomi in partem Iſaiae, & multorum dictorum in eumdem Iſaiam, vel in quamdam partem, Chryſoſtomi in partem Ieremiae.
Theo-

Theodoreti Epiſcopi Ciri in totum Ieremiam, in pergamenis.
Sermones Magni Athanaſii, in papyris.
Epiſtolae Iſidori Peluſiotae in papyris.
Chryſoſtomi in ſecundam partem Mathaei, in pergamenis.
Sancti Maximi Philoſophi, in pergamenis.
Ariſtobuli Monachi contra Iudaeos, in papyris.
Expoſitiones nonnullae in Evangelia Dominicalia ſecundum Graecos, in papyris.
Chryſoſtomi in ſecundam partem Matthaei, in pergamenis, &
Baſilii contra Eunomium, & Gregorii Nazianzeni in Hexaemeron, in pergamenis.

In Capſa ſignata T ponderis librarum 230. ſunt libri infraſcripti.

Chryſoſtomi pars Margaritarum, in pergamenis.
Chryſoſtomi Andriantes, in pergamenis.
Chryſoſtomi Homeliae in diverſas materias, in pergamenis.
Origenis expoſitio in Matthaeum, & Ioannem, in papyris.
Chryſoſtomi Hexaemeron ſecunda pars, in pergamenis.
Sancti Baſilii Moralia, in pergamenis.
Chryſoſtomi Andriantes, in pergamenis.
Auctoritates de attributis, in papyris.
Epiſtolae Sancti Baſilii, in pergamenis.

In

In Capſa ſignata V ponderis librarum 230.
ſunt libri infraſcripti.

Chryſoſtomi in pſalterium, & aliae eius Homiliae, in pergamenis.
Chryſoſtomi expoſitio in Epiſtolas Pauli ad Coloſſenſes, & Theſſalonicenſes primam, & ſecundam, ad Timotheum primam, & ſecundam, in pergamenis.
Regula Sancti Baſilii quae Aſcetica inſcribitur, in pergamenis.
Andriantes Chryſoſtomi in pergamenis.
Iſaias Propheta cum expoſitionibus, in pergamenis.
Chryſoſtomi expoſitio in primam ad Corinthios, in pergamenis.
Sancti Baſilii Moralia, in pergamenis.
Gregorii Nazianzeni Orationes diverſae, in pergamenis.
Gregorii Nazianzeni Orationes in papyris.
Chryſoſtomi in pſalterium, & eiusdem de Virginitate, & aliae orationes pulchrae in pergamenis.
Sancti Gregorii Nazianzeni orationes xxviii cum expoſitione, in papyris.

In Capſa ſignata AA ponderis librarum 230.
ſunt libri infraſcripti.

Chryſoſtomi Hexaemeron, in pergamenis.
Chryſoſtomi Hexaemeron prima pars, in pergamenis.

 San-

Sanctus Gregorius Nyſſenus, in pergamenis.
Gregorii Nyſſeni contra Eunomium, in papyris.
Metraphraſtae menſis Septembris, in pergamenis.
Sanctorum Dorothei, Iſaiae, Marci, & Dialogi de Vita Monaſtica, in pergamenis.
Sancti Nili orationes diverſae, & optimae, in pergamenis.
Sancti Ephrem orationes de Monaſtica Vita, in pergamenis.
Sanctorum Patrum Vitae per Theodorum Ciri ad Palladium clauſum, & de Brachmanis, in pergamenis.
Erimachi, & Iſac, in pergamenis.
Sanctorum Patrum memoratu digna, in pergamenis.
Sanctus Marcus, in pergamenis.

In capſa ſignata 9 ponderis librarum 230. ſunt libri inſcripti.

Pſalterium cum expoſitionibus plurimorum Doctorum optimum, in pergamenis.
Vetus Teſtamentum, Geneſis VI. uſque ad Esdram, in pergamenis.
Pſalterium cum expoſitione Theodoreti, in pergamenis.
Vetus Teſtamentum, Geneſis uſque ad Heſter, in pergamenis.
Quatuor Evangelia cum expoſitionibus, in pergamenis.

In Capſa ſignata ℞. ſunt libri infraſcripti ponderis librarum 250.

Procopii expoſitio ſuper Iſaiam, in pergamenis.
Sancti Ephrem multae Orationes de Vita Monaſtica, in pergamenis.
Theodoreti in Epiſtolas Pauli, in pergamenis.
Expoſitiones in libros Salomonis, & Iob, in pergamenis.
Climacus cum expoſitione Eliae Cretenſis, in papyris.
Iob, Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum, Sapientia Salomonis, Ieſus Sirach, Prophetae, Thobias, Iudith, Machabaeorum libri tres, & Ioſephi quod ratio ſit moderatrix affectuum animi, in pergamenis.
Eccleſiaſtes, & Cantica cum expoſitione, in pergamenis.
Proverbia, Eccleſiaſtes, & Cantica cum expoſitione, & Iuſtini de Fide Catholica, & Sancti Baſilii quod non ſit idem ſubſtantia, & hypoſtaſis, in pergamenis.
Pſalterium cum expoſitione Zygabeni, in pergamenis.
Quatuor Evangelia pulcherrimo volumine cooperto cum ſerico, in pergamenis.
Meliſſa, Caſſianus, & Maximus, in pergamenis.
Quatuor Evangelia parvo volumine, in pergamenis.
Octateuchus, Regum libri quatuor, Machabaeorum libri duo, in pergamenis.

Et ecce Catalogus ille *Bibliothecae Beſſarionis*, qui in Bibliotheca Riccardiana adſervatur *Pluteo*

teo S. ordine II. num. & quem non alia de cauſſa *luculentiorem*, *& exactiorem*, quam is, quem *B. Monfauconius* vulgavit, dixi, quam quia & ſynchronos *Beſſarioni*, ut innui, eſſe videtur; & is, quem dum libros in capſis collocarent concinnarunt illi, qui huic negotio preerant: ita ut non ſit dubitandum, quin hi libri, qui recenſentur, illi ipſi ſint, quos Venetis *Beſſario* donavit. Certe, quem *Montfauconius* edidit, non hoc ſimplici & tumultuario adgeſtu compoſitus eſt, ſed ſecundum elementorum ordinem: ex quo forte multo poſterior eſſe intelligatur. Illi autem, quibus vacat, utrumque Catalogum conferre poterunt, atque ita cognoſcere an omnes illi ipſi libri ſervati ſint; an alii deinde fuerint additi; an ulla alia differentia inter eos intercedat. Catalogus certe, quem ipſe prodo, ab homine minus perito ſcriptus videtur, & quidem Graeco, id quod evincit ipſa Graecarum vocalium pronuntiatio; & minus litterarum Latinarum erudito, quod Orthographica menda arguunt; & paulo indoctiori, quod nominum corruptio paſſiva demonſtrat. Nos tamen pleraque menda, quoad fieri potuit, ſubſtulimus, & ad emendatiorem ſcriptionem redegimus, licet multa intacta reliquerimus, ubi ſenſus ex pravo etiam poſitu deprehendi aliquatenus poterat. Ceterum in hoc Catalogo perlegendo nonnulla obſervavi, quae heic recenſere Lectori erudito ingratum non fuerit, & ſunt quae ſequuntur: *Pag.* 130. Capſa A *Ioannes Italicus* in Logicam, & Topica Ariſtotelis. *Phil. Labbeus* commemorat tantum huius commentarium in librum περὶ ἑρμηνείας; *Lambecius* vero, alium in Topica. Hic *Michaelis Pſelli* diſcipulus fuit, cuius quoque exſtat *Methodus Synoptica Rhetorices*. *Pag. & Capſa eadem*. Erote-

mata *Ptochoprodomi* ; cuius multa alia opera , & quaedam alias ignota , commemorantur in Catalogo MSS. quorumdam Graecorum Librorum, mecum a V. Cl. *Scipione Maffeio* liberaliter communicato. *Pag.* 130. B *Olympiodorus* in quosdam Dialogos Platonis ; & Evangelium *Matthaei* cum Expoſitionibus . *Plotini* nonnullae orationes , plurimi quidem faciendae, ſi diverſae ſunt ab eius libris , qui circumferuntur. *Pag.* 132. D *Proculus* in Parmenidem Platonis. *Damaſcenus* , ſcilicet , ut videtur , *Damaſcius* de Principiis & in Parmenidem. Hiſtoria de rebus geſtis Mauritii Imperatoris, & *Aſclepii* ſeu *Aeſculapii* Tralliani , non *Tradani* , expoſitio in Arithmeticam. Duo Codices *Ioſephi* de Captivitate , ſeu bello Iudaico. *Pag.* 133. E *Theogenes* Mathematicus, & *Charicles* Medicus , ut videtur . *Plutarchi* Parallela omnia, liber pulcherrimus. Is eſſe non poteſt ille , quem *Beſſarioni* commodarunt Monachi Benedictini Florentini ; ille enim partem tantum Plutarchi Parallelorum continebat ; & memoria exſtat in alio Codice pulcherrimo Parallelorum *Plutarchi* , qui apud eosdem Monachos remanſit ; ut etiam videre eſt apud *Montfauconium* in *Diario Italico* , & in *Bibliotheca Bibliothecarum* . Non *Aladamantis*, ſed *Alcidamantis*, legendum eſt, orationes duae. *Agathias*, de nominibus , & ordinibus acierum. *Naucratis* , hoc eſt *Athenaei Naucratitae* convivia , ſeu Deipnoſophiſtae. *Pag.* 134. F *Menander*, qui hic commemoratur , Rhetor eſſe videtur , non Comicus. *Minucianus* Rhetor . Epiſtolae cuiusdam *Michaelis Gabrae*. *Cleomedis* Tabulae Perſicae. Illud *Eriſocinae* Arithmetica, credo corruptum , nec facile a me reſtitui poteſt. Num legendum *Chryſococcae* , cuius etiam Tabulae in Aſtronomia memorantur apud *Montfau-*

co-

conium? *Pag.* 135. G Adparentia , & Catholica *Euclidis* ; Logiſtica *Barlaam* . Almageſtum *Ptolemaei* cum expoſitione *Theonis* ; quae expoſitio exſtat etiam in Bibliotheca Laurentiana , ni fallor . Multorum Auctorum numero XLIV. Theoremata Geometrica. *Albacus* Graece , forte nomen corruptum ; & certe apud *Montfauconium* legitur *Abacus* . *Proculus* in Aſtronomiam . Muſica *Ptolemaei* cum expoſitione *Laurentii*. Compendium *Armenopoli*. *Pag.* 136. H Compilatio , & Collectaneum legum trium Imperatorum. *Meletius* de Natura hominis . *Pag.* 137. I Acta quintae Synhodi. Philoſophia , & Theologia *Damaſceni*. Sancti *Thomae* primus , & ſecundus contra Gentiles Graece ; nam *Demetrius Cydonius* Graece hoc opus convertit. In ſequenti articulo legendum eſt *ad Cantcrem Antiochenum* , & eſt *Declaratio quorumdam articulorum contra Graecos* , *Armenos* , *&* *Saracenos*. Quid illud *Cinoi* ſit , ignoro prorſus , niſi forte *Cydonii* legendum eſt , ut e *Montfauconio* colligitur. *Pag.* 138. K Epiſtolae multorum . *Ovidii* Metamorphoſes Graece . Flores ex diverſis Auctoribus per quemdam *Macarium* . Epiſtolae Pauli Graece , Latine , & Ebraice . Dogmatica Armatura . Liber Monaſticus *Antiochi*. *Pag.* 139. O Prima pars Sancti *Thomae* Graece. *Pag.* 140. P Laudes B. Virginis multorum Sanctorum. *Pag.* 141. Q Sermones panegyrici diverſi. Carmina *Nazianzeni* cum Expoſitione *Dionyſii Ariopagitae*. Si vere ita habet inſcriptio heinc multum iuvari video illorum opinionem , qui cenſent *Pſeudo-Dionyſium Areopagitam* ſaeculo demum quinto vixiſſe. Sed puto locum interpunctione laborare , & legendum eſſe. *Carmina Nazianzeni cum expoſitione*. *Dionyſius Areopagita*

cum Expoſitione Theologica Damaſceni. Pag. 141. S Obſervandum venit illud, *Sancti Maximi philoſophi*. Illud vero, *Ariſtobuli Monachi contra Iudaeos*, puto legendum *Chriſtoduli Monachi contra Iudaeos*; & quidem huius Dialogi IX. contra Iudaeos in Bibliotheca D. Marci Venetiis exſtant, ſicuti Florentiae in Bibliotheca Riccardiana. Pag. 143. T *Auctoritates de attributis*, reſpicere videntur haereſin Palamitarum. Pag. 146. ℞. *Procopii* expoſitio ſuper Iſaiam. Et haec quidem obiter, dum Catalogum legerem, obſervabam mihi animadverſione digniora, relinquens aliis ea multa ſeligere in uſum ſuum, quae heic praeſtantiſſima ſunt. Etſi vero alius horum omnium librorum Catalogus exactiſſimus a Viris doctiſſimis concinnatus nuper Venetiis publici iuris factus ſit; tamen & cur hunc perantiquum, & forte archetypum ipſe ediderim, eadem in cauſſa fuere, quae ſuperius, quum de eo, quem *Montfauconius* edidit, verba facerem, in medium adduxi.

Sanctiſſimo Metropolitae (1) Philadelphiae, & Reverendiſſimo Patri Domino Gabrieli Severo (2) Maximus minimus Hieromonachorum (3) Margunius, bene agere.

SAepe mihi conſideranti ſilentium tuum, quod adeo ſervare elegiſti, ex quo nos relinquere animum induxiſti, accidit

(1) De Metropolitis ita *Steph. Gerlachius*: *Metropolitae proximam a Patriarcha ſedem, ſed ordine quo-*

dit ut mecum interdum dicam antiquum illud : *Fortes erant Mileſii* , Sacratiſſime Domine . Otio ſiquidem oblitus fueris earum promiſſionum , quas inter peregri-

quodam habent , *ut unus alio prior* , *& dignior ſit* , *ſecundum antiquiſſimam conſtitutionem* . *Leo* vero *Allatius* ita ſcribit : *Ordo totus Hierarchicus eſt* , *Patriarcha* , *Metropolita* (*qui idem dignitate cum Archiepiſcopo eſt*) *Epiſcopus* , *Sacerdos* , *Diaconus* , *Subdiaconus* , *Lector* , *& alii ordines minores* , *de quibus nonnulli dubitant an in ea Eccleſia conferantur* .

(2) Hinc patet *Gabrielem Severum* iam anno MDLXXVIII. ad ſedem Philadelphiae Archiepiſcopum evectum fuiſſe ; *Emmanuelem* autem *Margunium* habitum Monachicum iam induiſſe , eo quod *Maximum* , & non *Emmanuelem* , ſe vocet . Moris enim eſt apud Graecos ubi Monaſterio ſe mancipant , aliud nomen adſumere , quod eadem littera , ac prius quo dicebantur nomen , incipiat . Vulgo autem apud eosdem *Emmanuel* , *Manuel* mutile effertur , & conrupte *Manoli* . Haec vero a me obſervata ſunt etiam in *Praefatione in Partem II. Epiſtolar. Glycae* . Philadelphia urbs Lydiae eſt . Eſt & alia Syriae illuſtris ; quemadmodum alia Catacecaumenes , quod apud *Stephanum* videre eſt , ut de Philadelphia Aegypti taceam . Cuius Philadelphiae Archiepiſcopus fuerit *Gabriel Severus* , nondum mihi liquet ; ſed Philadelphiae Lydiae crediderim , quae olim Epſcopatus erat ſub Metropolita Sardium , ut docet *Miraeus* in *Geographia Eccleſiaſtica* ; nam Philadel-

 phiae

grinandum mihi pollicitus fueras. Dico profecto, ut generaliter ea, quae quotidie eveniunt, ex iis, quae inſunt, declares, & in parte res tuas ſingillatim.

Ego

phiae Lydiae Archiepiſcopatus adhuc durat, ut patet ex *Indice Epiſcopatuum*, quem *Tomo XII. Bibl. Graecae* praemittit *Io. Albertus Fabricius*. Philadelphia Metropolis eſt, quae in nova Expoſitione *Andronici Iunioris* decimum locum obtinet, quum antea ſextum occuparet.

(3) Quum toties heic de Monachis, & Hieromonachis agatur, ſciendum eſt, iuxta *Chriſtoph. Angelum* in *Enchiridio*, & *Leon. Allatium De Conſenſu*, ambos Scriptores Graecos, Monachos eſſe apud Graecos, illos ſolum, qui e praeceptis, & inſtitutis *Baſilii Magni* pendent. Dividitur vero hic ſtatus in tres alios. Primus ordo vocatur, Monaſteriacus; ſecundus, Anachoreticus, ſive ut ita dicam, Celoiticus, ideo quod exigua monaſteria, veluti cellulas, poſſideant; tertius dicitur, Aſceticus. Monaſteria continent interdum ſupra quadringentos Monachos, quamquam & multo minora etiam ſint; & vivunt in monaſterio vitam pariter omnes ex aequo communem, & aequalem, cum ordinis ſui Hegumeno. Anachoreta eſt, qui quum in coenobio vivere nequeat, domum quamdam a Monachis duobus vel tribus milliaribus a monaſterio diſtantem, certa pecunia numerata, accipit, in qua una cum duobus vel tribus pauperibus ſociis ille vivit. Aſcetae vero, ſeu Eremitae, aſperam vitam vivunt in parvis caſis, ſeu ſpelaeis, fructus terrae, & panem biſcoctum, ſolum comedentes.

Ego vero multo ante ſemel in tuas litteras incidi , & eas extempore , & , ut aliquis diceret , volanti calamo ſcriptas , neque unquam ſecundis fructus ſum ; negotium vere quam maxime mihi ingratum. Num igitur me iniuria adficere , hoc ipſo praeoptaveris , vel hoc quidem non doloſe , ſed facere cogaris invitus ; vel omnino ita aliquo modo excogites , apud eos , qui divine amant , amorem augere ? Ego igitur quomodocumque habeat ſe id , quod huc uſque accidit , mihi conſcius ſum , & te amare , & te quam maxime venerari . Tu vero e contra iuſte ages , non obliviſcendo officii amicitiae proprii , ſi vere Maximum amas. Si vero & quoquo modo oblitus fuiſti ante hac , de reliquo igitur ne huiuſmodi ſis ; iniuria adficies enim utique & te ipſum una , & eum , cum quo talia conventa olim compoſuiſti ita , ut neque loci intervallo , neque temporis longitudine , neque alia re huiuſmodi , unquam diſſolvenda eſſent , ſicut ipſe declaraſti hic praeſens multum temporis mecum converſatus . Vale Sacratiſſime Domine , & ignoſce mihi nunc neceſſario Laconice loquenti , & mihi reſcribere , dummodo poſſis , digneris . Ex Creta (1) . Maemacterionis octa-

va deſinentis, Anno a Nativitate Servatoris noſtri MDLXXVIII.

(1) Creta, non tam nomen eſt inſulae, quam urbis in eadem Inſula, quae fuit *Margunii* noſtri patria; in quam reverſus Monaſticum habitum ſumſit in Metochio Montis Sinai, quod monaſterium dicitur S. Haecaterinae. Conſule Praefationem meam ad *Part. II. Epiſt. Glycae pag. XXIX.*

Sanctiſſimo Archiepiſcopo Philadelphiae, & ſecundum ſpiritum noſtro amantiſſimo Patri Domino Gabrieli Severo Maximus Hieromonachus Margunius, bene agere.

PArvi omnino facere res noſtras videris, Sanctiſſime Domine, quantum ex eo, quod huc uſque animum induxiſti ne parvum quidem epiſtolium nobis exarare, coniectare licet, quamvis multi ſint, qui non ita tecum utantur huiuſmodi beneficentia, nec tamen a te divino, & ſacro Capite deſeruntur. Niſi igitur ipſe te praeveniſſem meis litteris, forte, non ſolum ingrati animi, verum etiam ignorantiae qualiſcumque accuſationem tulerim. Poſtea quam vero, quum iam bis & tertio litteras miſerim, deſiderium meum non conſequor, al-

alterutrum dixerim ipſe, vel te quidem omnino in memoria non habere res noſtras, vel tabellarios habere, quorum uterque noſtrum proſcindamus negligentiam; pariter vero, ita, an illo modo; huiuſmodi res ſe ſe habeant, non utique omnino declaraverim. Quae vero ſit huius rei curatio, & quomodo, tuum ſit exquirere, qui dignatus fuiſti ſapientia, & gratia diviniori, & accuratiori. Ego vero neque damno adfectus parcam de cetero litteris apud te potentibus; cauſa vero praeſentis epiſtolae, talis eſt. Ego quidem qui te bene novi, quantum, dicere non dubito, nullus alius, & exceſſum tui erga pauperes amoris; aliaſque reſpiciens ad Chriſtianum officium, non ſubterfugi commendare tibi mearum litterarum portitorem, Manuelem Phraſa, quem & aliunde noſti, quum ei benefeceris. Adimple igitur rurſus morem tuum, ut & ipſe cognoſcat me aliquid poſſe apud te, & tu per huiuſmodi beneficentiam divinae gratiae amplius maiuſque incrementum accipias. Praetermitto enim laudem multorum, tamquam procul recedentem a ſacro ſcopo divinorum virorum, & propter hoc ſimiliter apud ipſos deſpectam. Novi haec te facturum, & a te ipſo impulſum, inſuper vero & gratificantem

no-

nobis, tuum divinum & ſacrum Caput deoſculantibus, & quam maxime venerantibus. De Nyſſeni (1) ſcriptis, quae ille contra Eunomium conſcripſit, & alias tibi per litteras indicavi, & nunc pariter, utpote qui libenter omnino illa percurrerim, non minus declaro. Ceterum tu & in hoc, ſicut & in aliis non paucis, Maximo tuo gratificans, neque labori, neque curae parce quomodocumque, ita ut bona ſpe ſit in hoc quod deſiderat, & habeat inſuper de quo tibi gratias maximas agat. Siſte me ſapientiſſimo ſimul & nobiliſſimo Aloyſio Lulino (2), & fac, ut mihi reſcribat de iis libris, quos illi quondam ſignificavi.

(1) Hoc eſt, Sancti Gregorii Nyſſae Epiſcopi.

(2) Aloyſius Lollinus Cretenſis, Patricius Venetus, Cythei, quod olim Gortyna, mox Chandax dictum, natus eſt anno MDLVII. Anno MDLXVII. ex Creta diſceſſit, & ingens patrimonium Venetias tranſtulit. Heic Graece iam doctus in Latinas litteras incubuit, & Patavii doctrinas edidicit, & Philoſophus, Geometra, Aſtrologus, Iureconſultus, Chaldaeae, & Ebraicae linguae peritus, evaſit. Redux Venetias, uni eruditioni militavit adſidue, & Bibliothecam ſibi paravit, quam raris, & optimis MSS. Codicibus inſtruxit, ex quibus deinde admodum profecit *Caeſar Baronius*, ut ex eius *Annalibus ad annum* 813. *num.* 20. conſtat. Hic ducentas Epiſtolas *Nicolai Myſtici* Patriarchae Conſtantino-

cavi. Neque enim arbitror te latere eius nobilem amorem circa librorum poſſeſſionem. Incolumem tueatur Dominus tuam Sanctitatem & anima, & corpore, multis annorum periodis, Sacratiſſime Domine. Ex Creta. Ex venerando Monaſterio Sanctae Haecaterinae Sinaitarum (1) MDL XXX Thargelionis decima.

Sanctiſſimus Hieromonachus, & ſpiritalis, Dominus Ioſeph Lumpinas ſalutat per me tuam Sanctitatem.

nopolitani Graece curavit exſcribi, & Latinas fecit; & plenam notitiam controverſiae inter *Palamam*, & *Barlaam*, *Baronio* Cardinali integra diſſertatione propoſuit: verum ex Bibliotheca Venetiis maxime inclaruit, ita ut eius domus a Viris doctiſſimis frequentaretur. Ab *Auguſtino Valerio* Cardinali Romam deductus; & *Clementi VIII.* commendatus, Bellunenſis Epiſcopus renunciatus eſt anno MDXCVII. quadrageſimo ſcilicet ſuae aetatis. Naturae conceſſit Belluni anno MDCXVI. Plurima ſcripſit, quorum duo tantum typis deſcripta ſunt, Carmina videlicet, & Epiſtolae cum opuſculis quibusdam, Vir Graece, & Latine eruditus; eique cum *Margunio* noſtro amicitia interceſſit, cui Graecam Epiſtolam miſit, dum Patavii moraretur. Pluria de eo habet *Nic. Comnenus Papadopolus Par. II. Hiſt. Gymnaſ. Patavin. Lib. I. Cap. XXXIX. n. CCIII.*

(1) Conſule, quae de Sinaitis ſcripſi ad *Epiſtolam I. Michaelis Glycae pag. 36.* & quod de hoc Meto-

Merochio Sanctae Haecaterinae in Creta attigi in *Praefatione ad Par. II. Epiſtol. Glycae* laudati *pag. XXIX*. Ex ipſo *Metochii* nomine ſatis adparet hoc Monaſterium propagatum fuiſſe ex Coenobiis Montis Sinai ; unde & *Sinaitarum* nomen , eius Monachi retinuere.

Sanctiſſimo Metropolitae Philadelphiae , & noſtro hero , Domino Domino Gabrieli Severo Maximus minimus Hieromonacus Margunius , ſecundum Dominum beatitatem.

TAntus eſt meus erga te ardor & accenſio deſiderii , Sacratiſſime Domine , ut ſaepe procul ab omni felicitate venire res meas putaverim , & parum deſit quin animum deſpondeam , quum non liceat mihi corpore , ſicut & ipſa anima , tibi coniungi. Quum enim reminiſcar tui amoris omnino paterni , vel optimae converſationis , non equidem poſſum quam maxime non triſtari , & meam vitam eſſe infelicem exiſtimare. Vides quo res noſtrae devenerint , & ut ſe ſe habeant difficillime. Etenim & diſciplinarum meditationes , & omnis inſtiturio ſtudii , & omne quodcumque bonum , neſcio quomodo me latuit effugiens , ex quo iſthic commorari deſtiti.

Sed

Sed ſi patiar, ſola & unica conſolatio mihi relicta ſit, me bona ſpe eſſe, & alias dum vivam tecum converſaturum, & uſque ad finem una tecum victurum. Quoniam vero mihi hoc in praeſens non licet, tuum fuerit, divinum mihi & ſacrum Caput, huius pignus aliquod in praeſentia meas litteras accepiſſe, ut huiuſmodi promiſſionis minime dubium argumentum. Quandoquidem vero ſcio (& neſcio an ita alius) nobilitatem morum & excellentiam probitatis tuae, non potui facere quin tibi commendarem per has meas litteras Deo cariſſimum Epiſcopum Germanum Cyprium, virum vere honeſtum, & probum, & Dei obſervantiſſimum, quem & propter alias non exiguas cauſas, quas & ipſe ferme ſcies quum viro uſus fueris, iure feceris, ſi libenter omnino, & comiter exceperis; non minus vero & hoc animadvertens, quibuſcumque beneficiis illum fueris proſequutus, ſive aliis commendans, ſive & ipſe ſecundum te ipſum benefaciens, id omne ad me a te eſſe referendum, & te ad me reſpicere debere. Etſi enim & dignitate, & ſanctis praerogativis illo inferior ſim, amicitia quidem ita mihi unitus eſt, ut alterum me ipſum putem. Omnia itaque eſto viro, ita ut etiam per hunc augeatur meum debitum, & honeſti mei erga

te

te amoris fax amplius exardeſcat. Facies vero, ſcio, & rem tui propriam faciens, & a tua natura impulſus, & Maximo tuo gratificans. Et haec quidem hactenus dicta ſunto. Ad alium enim mihi litteras danti multis quidem verbis opus fuiſſet; tibi vero, & ſolus nutus ſatis fuerit. Siſte me ſapientiſſimo, & Nobiliſſimo Aloyſio Lulino (1), & ea, quae ipſi ſaepius iam praecedenter ſcripſi, commemora. Si vero novum aliquid ad Theologiam adtinens editum eſt, bene utique feceris, ſi cum tuo Maximo illud communicaveris. Dominus conſervet tuam Sanctitatem, parvis huius infelicis Graeciae reliquiis magnum auxilium. Vale, & in tuis ad Dominum orationibus, ne umquam mei fueris oblitus, precor. Ex Creta. Ex venerando Monaſterio Sanctae Haecaterinae Sinaitarum; menſis Ianuarii decima, & anno ab Incarnatione Servatoris noſtri MDLXXX.

(1) Vide, quae de hoc ad Epiſtolam praecedentem adnotavimus *pag.* 156.

Idem

Idem Eidem.

QVum ipſe & ſcribendi ſicut & recordandi tui quotidie inſatiabilis ſim, nullam fere occaſionem praetermitto illorum, qui hinc ad vos navigant redeuntes, meis ad te litteris expertem, o diviniſſimum mihi & ſacrum caput Gabriel. Ipſe vero quum ne ſemel quidem mihi reſcripſeris, neque alicui illorum, qui iſtinc ad nos adveniunt, breve aliquid de me viciſſim impoſueris, neſcio quo praetextu uſurus ſis, vel quomodo indignationem effugeris. Videris enim vel nihili res noſtras facere, vel aliquid forte retinere apud te ipſum eorum, quae propius illi perverſi, ac peſſime perditi, inter nos operati ſunt. Ego igitur neutri horum duorum adhaereo, praeter alia, & benevolentiam tuam perſpicue noſcens. Tu vero utique gratiſſima feceris procurans quanto ocius abducere me ab huiuſmodi ſubſpicione, quam de te habeo; quoniam iniuria adfeceris prorſus & leges amicitiae ſincerae, & ipſam utique erga divina reverentiam, quam maxime profiteris Neque igitur de reliquo haec de me ſubſpiceris, precor, neque fac me ita erga te adfectum eſſe propter ea, quae tacuiſti; ſed omne quodcumque eo-

rum, quae in medio ſunt, intercidens, ad ſcribendum, nihil curans, expergiſcere, pacem pro pace rependens, & pro paucis multa retribuens. Eccleſia nec in praeſens qualicumque correctione gaviſa eſt, propterea in deterius, ut coniicio, propenſiorem minitatur progreſſum. Deus vero longe ſuperaverit amore ſuo erga homines noſtrorum peccatorum multitudinem, optima & ſuper indignis providens. Vale, diviniſſimum mihi & ſacrum caput, & mihi digno reſcribere digneris; gratificatus enim fueris mihi quam maxime.

Ex venerando Monaſterio Deiparae Chryſopeges (1 Galatae 2). Hecatombaeonis octava ſtantis, anno ab Incarnatione Servatoris noſtri MDLXXXIV.

Salutetur a te meo nomine, rogo, ſapientiſſimus & nobiliſſimus Dominus Aloyſius Lulinus, (3) & reliqui amici.

Idem

(1) De huius, ut videtur, Monaſterii eccleſia ita loquitur eruditiſſimus *Car. Ducangius* in *Conſtantinopoli Chriſtiana Lib. IV. §. XV. num. XIII. Deiparae ad Fontem* aedes ſacra ad Portam auream, ubi extrema urbis moenia terreſtria deſinunt, uno ferme ab urbe ſtadio aedificata fuit. Ibi porro locus fuit amoeniſſimus cupreſſis ingentibus ac denſis conſitus, & prato floribus

ribus referto diſtinctus, quem quidem, quod eo cives Conſtantinopolitani ſubinde deambulationem captarent, περίπατον adpellarunt, uti ſupra docuimus ubi de Palatio Peg.no ad hanc aedem exſtructo. Loci amoenitatem mire augebat πηγὴ ἀχοφητὶ βλύζουσα γαληνὸν τὸ ὕδωρ καὶ ποτιμὸν, *fons tacita ſcaturigine levem ac dulcem aquam effundens*, ut ait *Procopius lib. I. de Aedif. cap. III. Nicephorus Call.* Πηγὴ δὲ ἀφθόνου καὶ διαδοῦς νάματος ἐξ ἐπιπέδες ἀνατρέχουσα, παρῆγε μὲν τῷ τόπῳ μετὰ ῥαςώνης ὅσης τὸ χάριεν· εὐπρόσωπον δὲ καὶ τὸν χῶρον ἅμα καθίςα. *Fons ubertim & pellucide profluens cum loco ipſi gratiam ingentem, & amaenitatem praebuit, tum pulcrum eum & conſpicuum reddidit*. Neque ex aquarum dumtaxat ubertate commendationem apud Byzantinos obtinuit fons iſte, ſed praeſertim propter mirabiles ex earum puteo morborum ſanationes, adeo ut divinam virtutem iis inditam arbitrarentur. Idem Nicephorus. Οὐ μὲν δὲ ἀλλὰ καὶ θεία χάρις τῷ ὕδατι ἐπιῤῥάσασα, ἐνεργὲς αὐτίκα ἐδείκνυ καὶ πρὸς γονὰς θαυμάτων ἐῤῥωμενέςερον. *Divina praeterea gratia iis indita, ad miraculorum edendorum proventum efficacem eam praeſtitit*. Quae quidem miracula occaſionem praebuere Iuſtiniano aedis Deiparae ſacrae condendae ad hunc fontem ex ſuperflua materia Magnae Eccleſiae, ut auctor eſt Codinus in *Orig. pag.* 55. E. R. ex quo divinas iſtas virtutes in ſanandis morbis non tam Fonti ipſi, quam Deiparae, quam & Πηγὴν adpellarunt, adſcripſere Byzantii, atque in iis Ioannes Euchaitarum Epiſcopus Carmine εἰς ῥεῦσαν ὕδωρ.

Ἔβλυζε καὶ πρὶν νᾶμα τῷ λαῷ πέτρα,
Χριςὸν δὲ ταύτην μυςικοὶ φασι λόγοι,
Ὃ καὶ ποτίζει νέκταρ εἰς ἀφθαρσίαν.

Μήτηρ δὲ χριστοῦ, δευτέρα πάλιν πέτρα
Ζηλοῖ τὸν υἱὸν, καὶ ῥέει ζωῆς ὕδωρ
Πάντες δέχεσθαι συντρέχοντες τὴν χάριν.

His adiungam Epigramma aliud Manuelis Philae. εἰς εἰκόνα τῆς Πηγῆς.

Ζωῆς ἐγὼ βλέπων σε πηγὴν, παρθένε,
Πᾶσαν φλόγα σβεννύεις παντὸς κινδύνου,
Σὺ γὰρ ἀναψύχεις με τοῖς τερασίοις.
Ἀφθαρσίας φέρουσα τοῖς κόλποις φλέβα.

Cantacuzenus *Lib. II. Cap. XVII. & XX.* narrat Andronicum Iuniorem, quum gravi aegritudine Didymotichi detineretur, adeo ut de recuperanda ſanitate deſperarent medici, lympha fontis iſtius corpore perlito convaluiſſe, reverſumque in urbem, egiſſe gratias τῇ παναγνῷ μητρὶ τοῦ θεοῦ τῇ ζωοδόχῳ πηγῇ τῇ μᾶλλον ἰάματα ἢ νάματα βρυούσῃ, *caſtiſſimae Deiparae vitali fonti ſanitates magis quam aquas emananti*, quam *Lib. IV. Cap. I. & XLI.* πηγὴν ἀφθόνον, καὶ παντοίων ἰαμάτων, *omnium curationum Fontem* vocat. Scripſit Nicephorus Calliſti, ut ipſemet teſtatur *Lib. XV. Cap. XXVI.* Commentarium de miraculis ad Fontem editis, quem in Bibliothecis Vaticana & Caeſarea adſervari obſervarunt Lambecius, & Gretſerus. Huius titulum exhibuit Leo Allatius in Diatriba de Symeonibus *pag.* 88. Atque ita eo quidem de Fonte, ad quem aedificatum Deiparae Templum a Iuſtiniano tradit Zonaras. Sed an ab illo excitatum primum fuerit, ſcrupulum iniicit idem Nicephorus, qui a Leone M. conditum refert in miraculi memoriam, quod in caeco Deus operatus eſt, cui viſus redditus, quum oculos adhuc eo privatus iſtius Fontis aqua perfudiſſet: rem multis narrat Nicephorus *Cap. XXV.* Neque omnino diſſentit Co-

dinus

dinus in Origin. *pag.* 55. E. R. tradens Iuſtinianum e venatione in urbem redeuntem, & magnam populi multitudinem conſpicatum, ex oratorio quod ibi erat prodeuntem, ſciſcitatum quidnam ſibi vellet tantus civium concurſus; & Strategio Magiſtro, ob Fontem, qui morbos curaret, reſpondente, tum Iuſtinianum aedis magnificae in eo loco condendae conſilium cepiſſe, quam ex ſuperflua Magnae Eccleſiae materia demum aedificavit. At Procopius *Lib. I. de Aedif. Cap. III.* ait *Iuſtinianum* templum Deiparae ἐν χώρῳ καλουμένῳ πηγῇ conſecraſſe, quod nitore & magnitudine pleriſque ſacris aedibus antecelleret, quod in annum XXXIII. eiusdem Auguſti, Chriſti DLIX. reiicit Cedrenus *pag.* 378. E. R. cuius encaenia IX. Iulii celebrari ſolita docet Menologium Sirleti. At quum terrae motu collapſum, vel certe labefactatum eſſet, illud reaedificavit Irene Athenienſis, Leonis Chazari Imperatoris coniux, cum filio Conſtantino, ducentis & ſeptuaginta ſeptem annis poſt primam eius aedificationem, ut eſt apud Codinum Lambecii *pag.* 55. E. R. ſeu CCLX. ut eſt apud Meurſium in Notis ad Conſtantinum de Adminiſtrando Imperio *pag.* 41. In quo quidem annorum calculo evidens error deprehenditur, quum ab anno DLIX. ad annum DCCCII. quo in ordinem acta eſt Irene a Nicephoro Generali, intercedant tantum CCXLIII. Illud poſtea priſtino nitori ac ſplendori reſtituit Baſilius Macedo, multoque quam antea ſplendidius effecit, ut Porphyrogenitus in avi vita *Cap. LIV.* & Scylitzes *pag.* 587. E. R. tradunt. Sed non multo poſt cladem perpeſſum ſcribit idem Scylitzes *pag.* 623. E. R. ut & Anonymus Combefiſianus *num. XV.* Romano Lecapeno imperante, ignem immittente

Symeone Bulgarorum Rege: Ο δὲ Συμεὼν ἀποστείλας ἐνέπρησε τὸν τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου ναὸν ἐν τῇ πηγῇ, ὃν ὁ βασιλεὺς Ιουστινιανὸς ἐδομήσατο. Nec tamen penitus abſumtum incendio iſto, vel certe poſtmodum de novo inſtauratum, ſiquidem refert idem Scylitzes *pag.* 626. E. R. & Anonymus *num.* *XXII.* non multo poſt Petri Symeonis filii cum Maria Lecapeni Imperatoris filia nuptias in eo Templo celebratas. Aedis totius ſtructuram & elegantiam multis deſcribit *Nicephorus Lib. XV. Cap. XXVI.* aitque formam illius quadratam, ita tamen, ut aliquatenus longitudo latitudinem excederet, ὡς συμβαίνειν τριτημόριόν που εἶναι τῷ μήκει τὸ εὖρος, proindeque tribus longitudinis partibus conſtaret latitudo, cuiuſmodi Graecanicorum Templorum formam fuiſſe diximus in deſcriptione aedis Sophianae *num XII.* Deinde addit in media fere Deiparae aede fontem incluſum, forma quadrata, ad quem gradibus marmoreis XXV. deſcenſus patebat, cuius quidem latitudo bis ſenum pedum erat. Alia denique ſubiungit ad Fontis deſcriptionem, & aquarum illius qualitatem, quae conſulto praeterimus. Ceterum ait *Gillius Lib. IV. Cap. VIII.* exſtat etiamnum hic Fons, quem a Porta aurea χρυσοπηγὴν adpellant: templum exſtare in Galatenſi ſuburbio innuit Manuel Malaxus in Hiſtor. Patriarcharum *pag.* 155. Fons adhuc perennis ſcaturit, & religioſe bibitur a Graecis, qui omnes Fontes iuxta templa ſitos ſacros habent, & nominant. Templum vero non exſtat, cuius aedificia, ut tradit Leunclavius in *Pand. Turc. num.* CC. nunc diruta ſunt, fundamentis tantum exſtantibus. Subdit praeterea Fontem hodieque Graecorum vulgus inviſere, magno concurſu certo anni tempore, veluti ſi

Dei-

Deiparae templum adhuc incolume ſtaret, conſueviſſe, ea forte ex diebus Dominicis, qua Imperator ad illud templum procedere ſolebat, ut auctor eſt Zonaras in Nicephoro Phoca; niſi *proceſſum*, ſeu ſeceſſum intelligat ad Palatium Peganum, de quo ſupra egimus. Monaſterium virorum fuiſſe indicat Anna Comnena *Lib. V. pag.* 95. Edit. Reg. dum ait Italum quemdam ab haeretica pravitate recedentem eo ſeceſſiſſe: Εἶτα μεταμεληθεὶς πρὸς τὸν βασιλέα παρακλήσει χρησάμενος κατὰ τὴν κέλευσιν ἐκείνου τὴν Κωνσταντίνου κατέλαβε, τὴν μονὴν τὴν οὕτω καλουμένην Πηγὴν ἐνδιαίτημα λαβών. Meminit rurſum illius templi *Lib. I. pag.* 38. ut & Chronicon Alexandrin. *pag.* 869. Edit Reg. Nicephorus Gregoras *Lib. VIII. pag.* 252. Edit. Reg. & Ducas *Cap. XXVIII.* Zeno ἡγούμενος μονῆς τῆς ἁγίας Θεοτόκου ἐν τῇ Πηγῇ ſubſcribit in Concilio CP. ſub Menna Act. I. De palatio ad Fontem aedificato egimus ſupra. Praedictis addo Graecos celebraſſe *XVI.* Auguſti τὴν ἐν τῷ ναῷ τῆς Πηγῆς τοῦ ἁγιάσματος ἐξάντλησιν, καὶ αὐτῆς ἀνάδοσιν, ſub Leone Iſauro. Hactenus doctiſſimus *Ducangius*; quibus addere lubet ex hac eadem *Margunii* Epiſtola liquere, Monaſterium virorum ad Fontem aureum adhuc exſtare.

(2) *Sycena* regio vulgo *Galata*, ſive *Pera*, rectius Peraea nominanda eſſet, ut *Ioſephus* Iudaeam trans Iordanem, & regionem trans Euphratem *Strabo*, adpellant Peraeam. Galatam adpellarunt Conſtantinopolitani iuxta quosdam, eo quod illic olim lac venderetur, decepti nominis adluſione. Melius coniectaſſent ſecundum *Gillium*, ſi eam a Galatis populis Galatam dictam fuiſſe iudicaſſent, adducti *Ioannis Tzetzae* auctoritate, qui tradit, Brennum Gallum Gallorum Ducem, quos

 Grae-

Graeci Galatas adpellant, profectum Byzantium, illinc traieciſſe, indeque Byzantii locum adpellatum fuiſſe *Peram* ex traiectione Galatarum, a quibus poſtea Galata dicta fuerit: quod tamen etymon iure a *Ducangio* improbatur. Haec autem ſita eſt partim in planitie ſubiecta ſub ipſum collem, quem duae valles efficiunt, una ab Oriente, altera ab Occidente, utraque longa circiter unum milliare. Illius circuitus muro circumdatus patet quater mille & quadringentos paſſus: latitudo varia: totum littus, quod illam circuit, portuoſum eſt, & naves admittens, uſque dum contingat oram maritimam. Tabernas habet, officinas mercatorum, & frequentes cauponas, & vacua intervalla ad exonerandas naves. Sex habet portas maritimas, quarum tres traiectum frequentem habent ad Conſtantinopolim. Ex ſummae urbis lateribus videtur ſinus Ceratinus, & Boſporus, & Propontis, & ſeptem colles Conſtantinopolis, & Bithynia, & ſemper nivoſus Olympus. Denique non modo in Galatino colle, ſed collibus, & vallibus in Galatino littore ſitis tot aedificia fuiſſe adparet, quot Conſtantinopoli, ita ut, ſi centum annos felicitas Imperii Byzantini duraſſet, altera Conſtantinopolis futura eſſet Galata, ut latius videre eſt apud *Petrum Gyllium de Topographia Conſtantinopoleos Lib. IV. Cap. XI.* In Galatae urbe, ſicut & Perae, cuiuſcumque generis Chriſtiani habitant, & Franci qui vocantur praecipue. Horum ſunt Galatae quinque Monaſteria, quorum duae Eccleſiae Minorum ſunt, & una Sanctae Mariae adpellatur; altera, Sancti Franciſci. Tertium eſt Dominicanorum, quorum Eccleſia Sancto Petro ſacra; Quartum Ieſuitarum, qui Eccleſiam Sancti Benedicti poſſident; Quinctum

deni-

denique Capuccinorum, quorum Eccleſia Sancto Georgio dedicata eſt. Galatae magna Graecorum copia frequens eſt, qui inibi habent Eccleſias & Monaſteria, quorum unum eſt hoc, quod a Deipara Chryſopege nomen accipit. Perae vero Francorum legatorum, & mercatorum pars maxima commoratur, ut apud *Thevenotium Tom. I.* ſui *Itinerarii* videre eſt.

(3) Vide ſuperius *pag.* 156.

Idem Eidem.

PHiltrum quidem, quo erga te divinum & venerandum mihi caput adficior, Sacratiſſime Domine, nullatenus imminutum eſſe ex calumnia ante hac mihi undecumque conſtructa quoad dogma de Spiritu Sancto, & ipſe mihi conſcius ſum, & te maxime perſuaſum eſſe exiſtimavi, ex iis, quae iam tibi praecedenter ſcripſi, hoc arguens. Quum autem nondum me mutuarum a te epiſtolarum participem feceris, taedio adficis meam animam, & facis ad ea facillime illam inclinari, ad quae non ita forſan mentem tuam diſpoſitam eſſe, omnino auguratur. Hoc autem ex eo facillime, & multum quis cognoverit, ſi ad ea, quae praecedenter fuerunt, reſpicere eligat. Etenim aliter prius conſueviſti, nobis

bis gratificans, calamo & chartae non parcere. Ego verò quae ſit tantae illarum parcitatis in praeſens cauſa, prorſus ignoro, niſi tibi erga nos inſita eſt paſſio aliqua & radices egit, ex inſubſiſtenti aqua illius malae naturae tentatoris, quae & adhuc ſervetur, & irrigetur. Sed, o beate, neque ego in tantum furorem deveni, ut arbitrer te dedita opera inſidias una molitum eſſe cum iis, qui ſemel damno adficere voluerunt. Vnde enim dixerim ego illum, qui in primis mihi ſalutem adduxit? Sed nequiſſimorum ſolum hominum, & Deum non timentium, eſſe hoc veteratorium facinus perſuaſus ſum. Neque ipſe iure feceris ita conquerens, ſi me dogmatis cacozelo accenſum a diſpoſitione tibi iure merito a me debita declinaſſe deprehenderis; ſed magis, dolere debuiſſes ſuper eo qui humano adfectui obnoxius fuiſſet, & filii infirmitatem conſolari, qui praeſertim ad hoc te exhortatus fuerat antequam patriam propter edicta deſeruiſſet. (1) A me vero, ut omnia ſcias, & opus quoddam in tres libros diviſum, (2) de quo

(1) Hinc patet *Margunium* e patria fugere coactum fuiſſe ante annum MDLXXXIV.

(2) Vide *Praefationem in Part. II. Epiſtol. Glycae pag. XXIX. & XXXIV.*

quo tibi iam ſcripſi, elucubratum eſt, & Sacratiſſimo Conſtantinopolis Domino Ieremiae (1 conſecratum, qui & edidiſſet, ut mihi multis oſtendit, niſi, heu

(1) *Ieremias II.* cognomento *Tranus* ex Metropolita Lariſſae, Patriarcha Conſtantinopolitanus anno 1572. *Metrophane* Patriarcha expulſo, renunciatus eſt. Deinde deiectus e ſede, & *Metrophanes* reſtitutus eſt: ſed mortuo *Metrophane* die 18. Auguſti anno 1580. *Ieremias* iterum ad Cathedram evectus eſt, e qua tamen rurſus anno 1584. expulſus fuit; donec tertium anno 1587. reſtitueretur. Quum vero multa memoratu digna ſub hoc Patriarcha contigerint, lubet paulo latius per eius vitam excurrere. *Ieremias* igitur anno 1572. Patriarcha CP. ut diximus, electus eſt, *Metrophane* praedeceſſore Patriarchicum ſolium & Pontificatum reſignante anno eodem ad quintum nonas Maii, die Dominica, non quidem volente, ſed quod ita iuberent ſupremus Baſſa *Mahomethes*, & *Michael Cantacuzenus*, Graecorum potentiſſimus; quod quum feciſſet in Montem Atho, quem Sanctum vocant, ſeceſſit. Eam reſignationem Epiſcopi, & Clerici acceptam in Codicem Magnae Eccleſiae retulere. Quum ita munus Patriarchae *Metrophanes* reſignaſſet, contigit, ut aliquot Epiſcopi eo tempore numero viginti, & amplius, in magna Eccleſia adeſſent. Hi, habita Synodo conſederunt, ut cum Clero Patriarcham, corpore & animo dignum eligerent. Conſentientibus igitur ſuffragiis legerunt Metropolitam Lariſſae *Ieremiam*: & electione peracta datum eſt *Ieremiae* iudicium minus. Hora autem

tem veſpertina peracto cantu, & congregatis Epiſcopis, nobilibuſque viris, tam urbis, quam Galatae, populoque praeſente, Reverendus Magnae Eccleſiae Magnus Oeconomus, e Sacerdotum collegio, *Anaſtaſius*, ſtetit ut princeps Clericorum in medio magnae Eccleſiae, & magna voce pronunciavit magnum iudicium, facie ad Sanctum Lariſſaeum, hoc eſt ad *Ieremiam*, converſa. Stabat enim is ad fores ſacrarii, amictus Patriarchico pallio, & collari, hoc eſt, ut videtur, ἐπιτραχηλίς, & ſuperhumerali; cui ſequentia dixit: *Divina, & Sacra Synodus Sacratiſſimorum Metropolitarum, devotiſſimorum Epiſcoporum, honoratiſſimorum Clericorum, & nobiliſſimorum procerum, totiuſque Chriſtiani populi, acerſivit tuam Pontificiam dignitatem e throno Sanctiſſimae Metropolis Lariſſae, in hunc altiſſimum, & magnum Patriarchicum, ſanctiſſimae Chriſti Magnae Eccleſiae thronum.* Omnibus rite peractis & Patriarcha in throno conſtituto, magna Chriſtianorum tam ſaecularis, quam ſacrati ordinis, laetitia exorta eſt. Factus eſt Patriarcha die quinta Maii. Sequenti die Peſceſium, ſeu munus 2000. ducatorum Quaeſtori in aula ſolvit, a quo ad Regem Turcarum deductus, manus eius de more oſculatus eſt. Ipſe viciſſim confirmationem iurisdictionis, & privilegiorum a Sultano accepit. *Ieremias* hic non tantum doctus fuit, ſed ſemper etiam & quotidie, iam Patriarcha, doctior fieri ſtuduit, incumbens libris dies noctesque ac cum Theologia Philoſophiam, atque alia multa Eccleſiaſtica, coniungens; ita ut de eo *Demetrius Procopius* Moſchopolita inter Graecos eruditos recentiores mentionem fecerit. Sed quum *Metrophanes* invitus Patriarchatum reſignaſſet, multas cum ſequente Patriarcha *Ieremia* concertationes per annos ali-

aliquos habuit. *Agitur cauſa*, inquit *Cruſius* in *Turco-Graecia*, *apud infideles*, *ex quibus uterque ſibi patronos muneribus non parvis adſcivit. Nec ſinis erit litis. Interim Eccleſia Graeca expilatur, quia omnes reditus & eleemoſynae, ex Metropolibus colligi ſolitae, a Patriarcha ob tuendam dignitatem Turcis effunduntur. Accedit aes alienum Cantacuzeni, quod Regi Turcarum debet maximum, magna ex parte, ut dicitur, Eccleſiae eleemoſyna perſolvendum. Cuius gratia etiam Graeciam, Valachiam, & Moldaviam pertranſire Patriarcha conſtituerat, ut patrono ſuo Cantacuzeno in colligenda pecunia gratificaretur, &c.* Et certe tradit *Stephanus Gerlachius*, qui hiſce controverſiis praeſens fuit, *Michaelem Cantacuzenum*, quem Graeci τὸν ἄρχοντα vocabant, Imperatoris Turcici, licet Chriſtianum, ſupremum Publicanum fuiſſe, & omnia ſuſquedeque pro lubitu miſcere conſueviſſe. Et quidem potentia, & odio huius *Cantacuzeni*, non *Metrophanes* tantum Patriarcha depoſitus eſt, ſed etiam e duobus fratribus *Palaeologis*, qui Conſtantinopoli morabantur, alter compulſus eſt ad Regem Tartarorum, forte adfinem, abire. *Cantacuzenorum* duae domus ibidem ſunt: una in Pera; altera in Achillo (olim Anchialo) oppido Ponti Euxini. Quin *Gerlachius* primo anno, quo Conſtantinopolin ivit, alium de familia *Cantacuzenorum* offendit, Italice, & Graece peritum; quem deinde in Monte Sancto, hoc eſt, Athone, Calogerum factum eſſe perhibebant. Anno 1574. Sultanus *Selimus II.* naturae conceſſit, eique filius *Amurathes III.* ſucceſſit. Gratulantibus civibus ac viris principibus novo Sultano, *Ieremias* quoque Patriarcha cum Peſceſio 2000. ducatorum Regem adiit, ei ſe ſubiiciens, & more Patriarchico manum eius

ex-

exoſculans. Qui Rex poteſtatem Eccleſiaſticam, quam Patriarcha a patre Sultano Selymo acceperat, eidem confirmavit, atque novum etiam Diploma dari iuſſit., ut ſecundum religionis ſuae praeſcriptum iurisdictionem haberet in Metropolitas, Archiepiſcopos, Sacerdotes, & omnes Graecos homines, Eccleſias, ac Monaſteria; addita comminatione, ſi quis huic Diplomati eſſet contraventurus. Hic Patriarcha Pammacariſtae templum in Patriarcheio varie exornavit, imaginibus, candelabris, ac columnis ſplendorem ipſi addens. Aedificavit & quaedam a fundamentis valde pulchra, utpote, ſibi aliam cellam, & nonnullas cellas alias in uſum Monachorum, & Officialium. Infra autem in area Patriarchei, occaſum ſolis verſus, a fundamentis condidit duo magna palatia, ſpecie altitudineque inſignia, pluribus intra ſe conclavibus diſtincta; multis Pontificibus, & aliis honeſtis hominibus commode hoſpitandi facultatem praebentia. Paravit quoque novum thronum Patriarchicum, varie ornatum pretioſis oſſibus, & emblematibus pulcerrimis. Inſuper autem vehementer laboravit, ut ſimoniam è Clero plane tolleret; unde in ſacro conventu, praeſentibus multis Epiſcopis, adlegati ſunt 29. & 30. Canones Sanctorum Apoſtolorum: *Si quis, quicumque fuerit, fiat Pontifex, aut Sacerdos, aut Diaconus, pecuniae interventu; aut aliud Eccleſiaſticum munus accipiat, deiici officio ſuo, tum ipſum Epiſcopum deſignatorem, tum alterum, qui deſignatus ſit. Nec vero deiici ſolum tales, ſed etiam a ſacra communione piorum exterminari, ſicut Simoni Mago a Divo Petro accidit.* Haec ſevere Clerici obſervare iuſſi ſunt, ipſaque conſtitutio haec de ſimonia

in

in Codicem relata eſt, ſubſcribente Sanctiſſimo, & Oecumenico Patriarcha, & Epiſcopis, qui una adfuerunt, ac de verbo ad verbum ſic ſonat: *Quicumque Antiſtitum tranſgreſſus fuerit praedictos Apoſtolicos Canones, motus adminiſtratione ſua eſto.* Ita ſimoniaca nundinatio & embaticium eradicata ſunt. Anno 1575. *Iacobus Andreae*, & *Martinus Cruſius*, Theologi Tubingenſes, die 20. Martii Confeſſionem Auguſtanam, quam *Paulus Dolſcius* Melanchthonis diſcipulus Graece verterat, & anno 1559. Baſileae typis *Oporinus* ediderat, una cum Epiſtola, *Ieremiae* Patriarchae miſerunt, eius de illa iudicium flagitantes. Non Patriarchae tamen tantum *Confeſſio Auguſtana* Conſtantinopoli data fuit, verum etiam *Metrophani*, Berrhoeeae Metropolitae, Patriarchae Vicario; *Gabrieli Severo*, qui poſtea factus quidem Philadelphiae Metropolita, ſed locum ille ob res accisas rurſus relinquens, & Graecia excedens, Venetias ſe contulit, ibique Graecorum ad S. Georgium Eccleſiae quam diutiſſime inſerviit; *Simeoni Cabaſilae*, Hierodiacono; homini propter ſtudia Patavii in Italia verſato; *Theodoſio Zygomalae*, Patriarchico Protonotario; Domino *Michaeli Cantacuzeno*; qui ſibi in vulgarem linguam transferendam curavit, & in patriam Anchialum ſecum aſportavit. Eadem confeſſio poſtea quoque a' Domino *Davide Vngnadio*, Imperatoris Romanorum in aula Turcica Legato, Principi Georgianorum, Quarckware Atabac vocato, donata eſt, quum is una cum fratre Conſtantinopoli moraretur. Qui Princeps in Ibericam ſeu Georgianam linguam converti eam curavit, ſecumque in regionem ſuam abduxit. Per haec tempora doctrinae fama florebant in Graecia praeter duos *Zygomalas Theodoſium*, & *Ioannem*,

pa-

patrem, & filium, *Arſenius* Metropolita Tornobi, & Exarchus totius Bulgariae, ſupremi Baſſae Vezirii Mahometis, fratris filius. *Ioaſaphus Argyropulus*, Metropolita Theſſalonicenſis, vir gravis, doctus, ac multae apud Graecos auctoritatis. *Metrophanes*, Metropolita Berrhoeenſis, Patriarchae Vicarius. *Matthaeus*, eius frater, Hieromonachus, & linguae antiquae probe peritus, perque Quadrageſimam Galatae ac Conſtantinopoli concionari ſolitus, de quo *Gerlachius*, *Voce eſt*, inquit, *promtiſſima*, *verbis ſelectis*, *ſed nimium celer*. *Damaſcenus* Metropolita Naupacti, & Artae in Peloponneſo; qui etiam, teſte *Gerlachio* in Diario, librum ſcripſit. *Cyrillus*, Metropolita Nicaenus, vir perhumanus, & linguae antiquae peritiſſimus. *Arſenius* Metropolita Veterum Patrarum, veteris linguae ſatis conſultus. *Atticus* Capellanus Conſtantinopoli in Patriarcheio. *Simeon Cabaſilas* Hierodiaconus, patria Acarnan, de quo iam ante. *Methodius* Hieromonachus in Patriarcheio. Hiſce a *Gerlachio* memoratis *Gabriel Severus*, de quo paulo ſuperius, & *Maximus Margunius* noſter merito addi poſſint. Et quidem *Margunium*, tradit *Papadopolus*, auxilio fuiſſe *Iermiae* Patriarchae dum controverſiae inter eum, & Tubingenſes ferverent; quod tamen qui fieri potuerit non video. Controverſiae enim illae anno 1576. ortae ſunt, & uſque ad annum 1581. protractae. Fatetur autem *Papadopolus* non prius, quam ſub *Syxti V.* Pontificatu, hoc eſt poſt annum, vel ipſo anno 1585. *Margunium* Conſtantinopolin ſe contuliſſe, & in *Ieremiae* gratiam inrepſiſſe. Verum fallitur in hoc *Papadopolus*; nam *Margunius* anno 1584. Conſtantinopoli iam erat, ut ex eius Epiſtolis conſtat; anno autem 1580.

adhuc

adhuc in Creta morabatur ut eaedem Epiſtolae indicant; quare ad ſummum hoc anno *Margunius* Conſtantinopolin conceſſerit, & *Ieremiae* adfuerit, & doctrina ſua opem tulerit. Quamquam autem, & anno 1578. in Creta eſſet, potuit & hoc medio forſan tempore Conſtantinopolin proficiſci, vel ante etiam hunc annum; quum anno 1575. Patavii adhuc moraretur. Verum ut melius hae controverſiae omnes intelligantur, lubet huc transferre partem Epiſtolae, quam ſcripſit *Martinus Cruſius* ad *Davidem Chytraeum*.

Occaſio, & progreſſus commutationis litterarum & ſcriptorum inter Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Martinum Cruſium, & alios Tubingenſes. Ex Epiſtola Martini Cruſii ad Davidem Chytraeum, anno 1579. menſe Aprilis.

CVm Anno Domini 1573. generoſus D. David Vngnadius, liber Baro in Sonneck, Dominus in Pleiburg, mandato Caeſareae Maieſtatis Legatus Conſtantinopolin iturus, petiiſſet ſibi ab Illuſtriſſimo Principe noſtro Ludovico, doctum aliquem iuvenem mitti, quo Concionatore in aula ſua uteretur; adiunctus fuit eius generoſae Dominationi a clementiſſimo Domino noſtro M. Stephanus Gerlachius, Theologiae ſtudioſus, ex ipſius Celſitudinis ſtipendio Tubingenſis. Hunc, cum ego abiturum hac de cauſa reſciviſſem, cogitavi mihi διηνεχῶς φιλελληνεςάτῳ ὄντι, Graecorum, qui Conſtantinopoli eſſent, periculum faciendum, num adhuc veterem linguam ſcirent, aut qua humanita-

te eſſent. Scripſi ergo epiſtolium Graecum, & quidem ad ipſum Patriarcham, licet ne de nomine quidem mihi tunc notum, quum multo minus alius ullus ibi Graecus mihi notus eſſet. Argumentum erat hoc. Me, quoniam hic doctus & pius iuvenis, cum Imperatoris Romani Legato illuſtri illuc diſceſſurus eſſet, voluiſſe, licet audacius hoc eſſet, Sanctitati ipſius ſcribere, non aliqua πολυπραγμοσύνῃ: ſed quod gratularer ipſius Sanctitati, illic adhuc reliquias religionis Chriſtianae, & Patriarcham huius, ſtudio & doctrina praeſtantem (ſicut aliquo tempore ante contra quam putaſſem cognoviſſem) eſſe; apud nos etiam, ſanam doctrinam ex Propheticis Apoſtoliciſque ſcriptis pure, & copioſe vigere. Deinde, quia tum Graecam linguam, in hac Academia, pro mea mediocritate docerem, tum Graecos, & Graeca mirifice amarem. Ergo me veniam a Sanctitate eius facile ſperare. Poſtremo commendare Sanctitati eius, quod ſine moleſtia ipſius fieret, hunc bonum Gerlachium, qui poſſet Sanctitati eius, noſtra cuncta probe narrare. Has litteras cum prius Reverendo D. D. oſtendiſſem, & num mittere deberem quaeſiviſſem: ipſe D. hoc factum meum omnino probavit, & ſuas etiam litteras in eamdem prope ſententiam addidit. Adiunxi ego concionem Dom. Cancellarii, quam quinta die Aprilis, anno 1573. in templo hic habuerat, ex 10. cap. Iohan. de bono paſtore: poſt quam concionem, ipſe Gerlachius, in templo, ad munus concionatorium ἐχειροτονήθη. Volui ut ſic Patriarcha guſtum aliquem noſtrae Religionis haberet. Nam paucis, illius concionis ſummam ego tunc (ut in templo multos hactenus annos ſoleo) Graece exceperam.

Die

Die itaque Aprilis 9. Gerlachius Tubinga abiit; & 10. Aprilis Viennam venit. Inde poſt plures dies, ex quo commoratus fuerat, 18. Iunii Budam, 23. Iunii Belgradum verſus iens, eo 30. Iunii venit, hinc 19. Iulii Sophiam Bulgariae metropolin, & 3. Auguſti Selymbriam, die vero Auguſti 6. Conſtantinopolin.

Poſtquam 15. die Octobris εἰς τὸ πατριαρχεῖον veniendi occaſionem nactus eſſet: ibi per interpretem (moris enim eſt, peregrinos, & inferioris conditionis homines, interprete ad praeſules uti: & Graeci tantum vulgari lingua utuntur) Gerlachius noſtras literas D. Patriarchae tradidit: qui humaniter accipiens, nec tamen tunc reſignans, e Senatu ſuo, quem tunc habuerat, abiit. Cum poſtea litteras legiſſet & concionem praedictam, nec facta eſſet mentio eius in litteris, nec cauſam ſciret cur miſiſſem (nam tantum Latinis verbis in ſine chartae addideram, me γνώσεως ἕνεκα mittere, quod ea ante Gerlachii χειροτονίαν habita eſſet: quae verba aut ipſi non viderunt, aut non intellexerunt) perturbatio ſequuta eſt: aliquo ex Calogeris dicente, me ideo miſiſſe, ut Domino Patriarchae, tanquam in officio ſuo diligentiam non adhibenti, veternum excuterem. Sed Rhetor Patriarchicus, D. Ioannes Zygomalas (nunc μέγας τῆς μεγάλης ἐκκλησίας ἑρμηνεύς) contendit bono animo miſſam eſſe, φιλελληνίας.

Tunc ad Gerlachium illa concione miſſa, per D. Theodoſium Protonotarium, praedicti Iohannis filium, de cauſa miſſionis quaeſitum eſt. Gerlachius, ſicut res erat, negavit ὑβριστικὸν λόγον eſſe; ſed bono animo miſſam eſſe, cauſis adlatis, quas ante ſuum abitum ex me cognoverat, demonſtra-

vit. Hoc modo adquieverunt. Magis etiam poſtea ſanavi ego ſcriptis 4. Martii 1574. literis, quibus gratias egi reverenter, quod Sanctitas eius benevole noſtras litteras accepiſſet: diſſimulans omnino, me aliquid de illa offenſione cognoviſſe: addidi, me, ſicut proxime concionem de bono Paſtore miſerim γεύσεως ἕνεκα τῆς περὶ τὴν ἡμετέραν θρησκείαν, & ut oſtenderem τοὐμὸν φιλεῖν: ita nunc quoque mittere ſummam concionis D. D. Iacobi Heerbrandi, ex Luc. 10. περὶ βασιλείας Θεοῦ. Quum poſtea 1. Novembris anno 1574. Patriarcha, de utraque concione humaniſſime reſpondiſſet monens, ne aliquos νεωτερίζοντας ſequeremur: accepit deinde a nobis exemplar Auguſtanae Confeſſionis, Graece olim a D. D. Paulo Dolſcio converſae. Ac 16. Novembris anno 1575. nobis benevole reſpondit, ſe reſponſum ad illam ſuo tempore miſſurum.

Deinde 18. Iunii 1576. id Tubingae accipimus: quem libellum ego Latine converti. Modeſte iudicium ſuum ſignificat de ſingulis articulis. Summa eſt, quod Spiritum Sanctum ex ſolo Patre procedere Graeci aiunt: libero arbitrio, & bonis operibus, nimium tribuunt: per imagines invocant Sanctos: ſeptem Sacramenta faciunt: & talibus adſtruendis Patrum ſuorum teſtimonia αὐτολεξεὶ proferunt,

Die poſtea 18. Iunii 1577. Apologiam ſeu Reſponſum ad illud Patriarchicum ſcriptum Graecum, modeſtiſſime ſcriptum miſimus. Ibi oſtendimus (poſt reverenter gratias pro Reſponſo Sanctitatis eius acta) nos laetari, quod inter nos de multis & magnis capitibus doctrinae conſentiamus. Deinde locum communem tractamus de auctoritate S. Scripturae,

tae, cui omnia alia ſcripta ſe ſubmittere debeant. Tum in quibus capitibus diſſentiamus, ſententiam noſtram exponentes primum firmis teſtimoniis SS. litterarum, deinde (ubi habere potuimus) teſtimoniis patrum Graecorum confirmamus. Simul nomine D. Cancell. & meo, tria elegantiſſima horologia, D. Patriarchae, & utrique Zygomalæ miſimus.

Deinde 1. Octobris compendium Theologicum D. Iacobi Heerbrandi, quod ea aeſtate Graece a me converſum fuit, Domino Patriarchae miſimus: quod, quae in illa Apologia forte brevius, & obſcurius tractentur, hic expreſſius, & copioſius forte poſita ſint. Vtrumque vero ſcriptum Viennae concurrens, 30. Decembris 1577. cum pluribus noſtris litteris concurrentibus, Gerlachius accepit: quae cum Patriarchae reddere circiter 2. diem Ianuarii 1578. vellet, iam is ad viſitandas Eccleſias ſuas in Graeciam exiverat. Quidam vero, per eius τοποτηρητὴν miſſus, ſcripta illa ei in Theſſalia 4. die Martii reddidit. Ad quas pluribus, Theologis noſtris mihique tum communes, tum ſingulis proprias, litteras ſcribens, reſponſurum ſe brevi promiſit (ſicut exemplum Epiſtolae eius ad me hic incluſum mitto) ſed nondum reſponſum venit. Exſpectamus tamen quotidie nunc litteras a D. Salomone Schweikero Sultzenſe, apud Generoſum Dominum Ioachimum a Sintzendorff, aulico Conſtantinopoli concionatore, etiam in noſtro ſtipendio educato. Atque haec de hiſce hactenus. Verba iſta ſunt *Martini Cruſii* in ſua ad *Dav. Chytraeum* Epiſtola; & reſponſum illud, quod anno 1576. die 15. Maii *Ieremias* Tubingenſibus dedit, in Patriarchico, & venerando San-

ctiſſimae Virginis Mariae (Graecis Pammacariſtae) Monaſterio datum fuit. Sciendum eſt enim domum Patriarchae CP. ante captam urbem ad S. Sophiam fuiſſe. Nunc vero eſſe in extremo fere urbis angulo, non procul a Palatio, quod Conſtantini vocatur, & loco Blachernarum, in Monaſterio τῆς παμμακαρίςης ſatis ſpatioſo, hortis, & ſitu in loco editiore verſus ſinum maris, & urbem Peram, amoeniſſimo, ut *Stephanus Gerlachius* memoriae prodidit. Reſpondit autem *Ieremias* ad ſingula capita, alia probans, alia reiiciens, rationibus & momentis adlatis. Quum vero Reſponſum hoc, quod nomine *Cenſurae Eccleſiae Orientalis* circumfertur, celeberrimum ſit, & Eccleſiae Graecae hodiernae ſidem luculenter exhibeat, eius ſaltem ſumma Capita recenſere fert animus, ut quae materiae in eo tractentur, omnibus pateat. Ea autem excerpimus ex eiusdem Reſponſi Latina interpretatione a *Stanislao Socolovio*, Theologo Cracovienſi, adornata anno 1581. & *Gregorio XIII.* dicata, quum Reſponſum illud ad *Socolovium* tranſmiſiſſet Conſtantinopoli *Theoleptus* Archimandrita, in Patriarchio habitans, per Armenium quemdam Sacerdotem Heliopolitam. *Theoleptus* vero hoc Reſponſum in Epiſtola ad *Socolovium* vocat τὸ βιβλίον κατὰ τῶν λουτέρων, *Libellum contra Luteranos*. Capita igitur ſunt quae ſequuntur:

Symbolum Nicaenum adprobatur: proprius Graecorum de proceſſione Spiritus Sancti error adſeritur. Cap. 1.

Articuli fidei ſummatim explicantur, & ad vitae & morum inſtitutionem accomodantur. Cap. 2.

De

De peccato originis, baptiſmo, ſacro chriſmate, & eorum, qui baptizantur, communione. Cap. 3.

De poenitentia, & peccatorum remiſſione. Cap. 4.

De fide, & operibus. Cap. 5.

Neque nimis de gratia Dei praeſumendum, neque deſperandum eſſe. Cap. 6.

De numero, & natura Sacramentorum. Cap. 7.

De Miniſtris Eccleſiae, & eorum honore. Cap. 8.

De Baptiſmo parvulorum. Cap. 9.

De coena Domini, & veritate Corporis, & Sanguinis Chriſti. Cap. 10.

De officio confitentis, & eius, qui audiendae confeſſioni praeeſt. Cap. 11.

De mulctis, atque ſatisfactionibus, quas D. Baſilius τὰ ἐπιτιμία, alii Graeci τὰς ἱκανοποιίας, adpellare ſolent. Cap. 12.

De ſacra Liturgia, hoc eſt, de incruento, quod in Miſſa fit, ſacrificio: cuius opus, finis, univerſaque oeconomia, pleniſſime explicantur. Cap. 13.

De ſacris ordinationibus quas Graeci χειροτονίας vocant. Cap. 14.

Neque preces, neque oblationes, neque dies feſtos, neque alia donaria, corrupta vita, & moribus miniſtrorum, vitiari. Cap. 15.

Omni magiſtratui a Deo conſtituto parendum. Cap. 16.

De conſummatione mundi. Cap. 17.

De gratia, & libero arbitrio. Cap. 18.

Deum non eſſe auctorem malorum. Cap. 19.

De ſacris traditionibus, & praeſertim Monachatu. Cap. 20.

De cultu & veneratione Sanctorum. Cap. 21.

Si autem in primis *Mart. Cruſio* credendum eſt, utpote qui in hiſce controverſiis maximam partem habuerit, quidquid in contrarium *Fabricius*, & *Hilarius* omnia ſuſque deque miſcentes narrent; imo ſi non *Cruſio* tantum, verum etiam ipſi Patriarchae *Ieremiae* potiſſimum fides adhibenda eſt, ita anni controverſiarum digerendi ſunt. Anno iam 1576. primum reſponſum dedit *Ieremias*, ut vidimus; cui replicarunt Tubingenſes; & huic Replicationi non prius quam anno 1578. poſt menſem Maium *Ieremias* reſpondit, ut ex Epiſtola ab eo ad *Mart. Cruſium* menſe Maio ſcripta liquido conſtat. Menſe pariter Maio ſcripſit Patriarcha *Dav. Chytraeo* Catechetae Academiae, quae Roſtochi eſt, quum is prius ad *Ieremiam* ſcripſiſſet, eique reſpondit incorruptam Chriſtianam fidem apud Graecos eſſe adſerens. Hoc autem reſponſum dedit, quum ſub Maii exitum Conſtantinopolin rediiſſet ex provinciis, quarum Eccleſias pro Epiſcopali munere hoc anno viſitarat; atque amplius miſit *Chytraeo* antidori loco, linteum quoddam Graecis προσώψιον dictum, quo faciem loti extergunt. Hoc eodem anno menſe Martio *Michael Cantacuzenus*, ob varias turbas in Moldavia & alibi excitatas, iuſſu Sultani *Amurathis III.* Anchiali in propriarum aedium porta ſuſpenſus fuerat. Anno autem inſequenti *Ieremias*, vel quod patronum ſuum *Cantacuzenum* amiſiſſet, vel potius quod is cunctam Eccleſiam Graecam iam perturbaſſet, ut indicat *Theodorus Zygomalas* in Epiſtola ad *Martin. Cruſium*, e ſolio deturbatus eſt, & in illud *Metrophanes* reſtitutus; quo quidem anno ſecundum *Ieremiae* Reſponſum menſe Maio Tubingenſes accepere. Huic Reſponſo iterum illi replicarunt, quamquam Patriarcha iam depoſitus fuiſset, & libel-

lum

lum ſuum anno 1580. Byzantium miſerunt. Se ſubſcripſere Tubingenſes Theologi *Eberb. Bidenbachius*, *Iac. Andreae*, *Iac. Magirus*, *Iac. Heerbrandus*, *Theod. Snepſius*, *Luc. Oſiander*, & *Martinus Cruſius*. Sed hoc eodem anno, quum poſt novem menſes *Metrophanes* reſtitutus die 18. Auguſti obiiſſet, *Ieremias* iterum ſedem recepit. Quemadmodum vero Graeci odium utcumque in *Ieremiam* ſuum oſtenderant *Metrophanem* reſtituentes; ita *Metrophane* mortuo, deiecti Patriarchae deſiderium, quaſi facti eos poeniteret, aperte demonſtravere. Huius rei luculenta teſtimonia ſunt Conſtantinopolitanae Eccleſiae ad Moſcoviae Tzarum litterae, quibus oſtendit, quanto deſiderio Paſtorem ſuum exſpectaverit. Subſcriptiones notatu dignae ſunt: Εφέσου μητροπολίτης Σωφρόνιος καὶ εὐχέτης τῆς βασιλείας σου. ὁ Νικομηδίας Σισίνιος. ὁ Νικαίας Κύριλλος. ὁ Θεσσαλονίκης Μητροφάνης. ὁ Ναυπάκτης καὶ Ἄρτης Μητροφάνης. ὁ Κυζίκου Ἀχίλλιος. ὁ περὶ θεορίου καὶ ξάνθης Φιλήμων. ὁ Προύσης Νεόφυτος. ὁ μέγας οἰκονόμος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας ἱερεὺς Γεώργιος. ὁ Ἱέραξ ὁ μέγας λογοθέτης τῆς μεγάλης ἐκκλησείας καὶ δοῦλος τῆς σῆς βασιλείας. ὁ μέγας σακελλάριος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Σαβατιανὸς καὶ δοῦλος. ὁ μέγας σκευοφύλαξ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας καὶ δοῦλος τῆς βασιλείας σου. ὁ μέγας χαρτοφύλαξ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας καὶ δοῦλος τῆς βασιλείας σου. ὁ μέγας ἐκκλησιάρχης τῆς μεγάλης ἐκκλησίας. ὁ συγκέλλιου τῆς μεγάλης ἐκκλησίας. ὁ δικαιοφύλαξ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας. ὁ πρωτονοτάριος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας. ὁ ῥήτωρ. ὁ πρωταποστολάριος. ὁ μέγας πρωτοπαπᾶς. ὁ νομοφύλαξ. ὁ καυστρίσιος. ὁ ῥεφερενδάριος. ὁ ἱερομνήμων. ὁ πρωτοπαπᾶς. ὁ ὑπομιμνήσκων. ὁ ἐπὶ τῶν γονάτων.

ὁ ἐπὶ

ὁ ἐπὶ δεήσεων. ὁ ἐπὶ τῶν σεκρήτων. ὁ ὑπομνήματα γράφων. ὁ πρωτοκανονάρχων. ὁ πριμμικύριος, καὶ οἱ λοιποὶ ἱερεῖς καὶ ἄρχοντες τῆς Κωνςαντίνε πόλεως καὶ τῦ γαλατᾶ. *Epheſi Metropolites Sophronius*, & *orator Maieſtatis tuae*. *Nicomediae Siſinnius*. *Nicaeae Cyrillus*. *Theſſalonicae Metrophanes*. *Naupactae*, & *Artae Metrophanes*. *Cyzici Achillius*. *Peritheorii*, & *Xanthes Philemon*. *Pruſae Neophytus*. *Magnus oeconomus magnae Eccleſiae Sacerdos Gregorius*. *Hierax magnus logotheta magnae Eccleſiae*, & *ſervus Maieſtatis tuae*. *Magnus Scevophylax magnae Eccleſiae Sabatianus*, & *Servus*. *Magnus Scevophylax magnae Eccleſiae*, & *ſervus Maieſtatis tuae*; & *magnus Eccleſiaſtes magnae Eccleſiae*; & *Praeſes Sacelli magnae Eccleſiae*; & *Dicaeophylax magnae Eccleſiae*. *Protonotarius magnae Eccleſiae*. *Rhetor*. *Protapoſtolarius*. *Magnus Protopapas*. *Nomophylax*. *Cauſtriſius*. *Referendarius*. *Hieromnemon*. *Protopapas*. *Hypomimneſcon*. ὁ ἐπὶ τῶν γονάτων, *a ſupplicibus libellis*. *Aſecretis*. *Commentaria ſcribens*, *Protocanonarchon*, *Primicerius*, & *reliqui Sacerdotes*, & *Principes Conſtantinopolis*, & *Galatae*. Alia quoque eſt Epiſtola, qua pro Ieremia revocando tota ſolicitat Eccleſia. Subſcribunt ὁ μέγας οἰκονόμος Γεώργιος ἱερεύς. et Ἱέραξ ὁ μέγας λογοθέτης καὶ οἱ λιποὶ κληρικοί. *Magnus oeconomus Georgius Sacerdos*, & *Hierax magnus logotheta*, & *reliqui clerici*. Item *Ioanis Petri*, Voevodae & Domini Moldo-Walachiae ad *Ieremiam*, ut ad Patriarchatum redeat pariter Epiſtola anno 1580. ſcripta. Sed quum *Ieremiae* diſputationis cum Tubingenſibus taedium obrepſiſſet, toties iteratis contradictionibus expugnata patientia, indignatus in iſta erupit verba: *Omnino tacere propoſitum nobis fuit, nec reſpondere vobis quidquam, qui*

adeo

adeo aperte tum ſcripturam, tum dictorum Sanctorum interpretationes ad veſtram voluntatem transferatis, cum Paulum habeamus nos ſic hortantem: Haereticum hominem poſt unam atque alteram admonitionem reiice. Verum quia ſilentio noſtro futurum fuiſſet, ut vobis adſentiri videremur, tamquam fortaſſe recte opinantibus, & intelligentibus haec: ipſaque ſcriptura ac Sancti a vobis ſtarent hac in parte; ideo ad defenſionem horum nunc etiam haec exarare voluimus; licet certa nobis ex ſcripturis veſtris fides facta ſit, vos nunquam nobiſcum, vel potius cum veritate, ſentire poſſe. Aſt Tubingenſes, durioribus hiſce nihil territi, argumentum ſuum, Reſponſo tertio Patriarchae ulterius replicantes, repetunt, & ad illud (quod tamen pace Graecorum dictum volunt) ipſis hactenus ſolide reſponſum non eſſe queruntur. Huic Tubingenſium libello *Ieremias* haudquaquam reſpondit, atque ita eius cum Theologis illis commercium abruptum eſt. De hiſce controverſiis ita loquitur *Arſenius* Hieromonachus Graecus, vir doctiſſimus, qui ſub *Parthenio* Patriarcha floruit, in quadam Epiſtola ad amicum Venetias miſsa: *Ceterum vere haec tunc a me eſſe dicta, manifeſto liquet ex iis, quae annis ab hinc non multis, adminiſtrante Eccleſiam noſtram Ieremia, geſta ſunt. Etenim is a Lutheranis Germaniae ad concordiam communionemque dogmatum invitatus, partim multa pollicentibus iis, partim comminantibus, & violenter inſtantibus, flecti non potuit tamen, atque omnibus eorum impetibus generoſe fortiterque repugnavit. Et certe quid ipſe, tum ſubiectae ſibi Eccleſiae ſentirent, expoſitione bene longa diſerte conteſtatus eſt.*

Sed iam Annus 1582. vertebat, & *Gregorius* XIII.

XIII. Pont. Max. quum praeſtantiſſimorum Aſtronomorum ope kalendarium reformaſſet, ut illud per univerſi Chriſtiani orbis regiones reciperetur procurabat. Nec Graecos & alios Orientales populos neglexit, ſed eis etiam admittendum propoſuit; & *Ieremiae* tamdem, qui primum una cum aliis Epiſcopis kalendarium Gregorianum amplecti detrectaverat. Nam aliquot Epiſcoporum Synodo coacta, occaſione, qua Armenii hac ſuper re Graecorum ſententiam rogaverant, kalendarium illud *Ieremias* & alii Epiſcopi improbarunt, & non recipiendum futilibus de cauſis cenſuerunt. Id conſtat ex ſcripto quodam, cuius titulus eſt qui ſequitur: *Exemplar ſcripti Conſtantinopoli a Domino Ieremia, & Synodo* Armenis, & *omnibus piis Chriſtianis dati, &c.* In fine autem ita habet: *Haec ſunt quae nos, ratione ad veritatem revocata, ad utrumque ab adverſario adlatum caput reſpondenda duximus. Anno* 1582. *die* 20. *Novembris Indictione* 10. *ab orbe condito ſepties milleſimo nonageſimo.*

Subſcripſerunt.

Ieremias, miſericordia Dei Archiepiſcopus Conſtantinopoleos, novae Romae, & Oecumenicus Patriarcha.

Silveſter miſericordia Dei Patriarcha Magnae urbis Alexandriae, & Oecumenicus Iudex.

Ioachimus miſericordia Dei Patriarcha Magnae urbis Antiochiae, & totius Orientis.

Gabriel miſericordia Dei Archiepiſcopus primae Iuſtinianae, Achridarum, & totius Bulgariae, Albaniae, Macedoniae, Hungaro-Valachiae, &c.

Sed

Sed quamquam id Conſtantinopoli a Patriarcha & Synodo actum fuiſſet, poſtea tamen is, ut innuimus, *Gregorii XIII.* exhortationibus obſequens, kalendarium admittere deliberavit, & a Rhutenis & Graecis admittendum in ſe recepit, ſuper quo calumniati eum ſui fuere, & ſibi, ſuiſque Eccleſiis magnam perniciem peperit. Non poſſum facere quin hic inſeram narrationem perutilem *Davidis Chytrhaei*, viri rerum Graecarum, dum viveret, ſtudioſiſſimi, quae lucem non parvam rebus *Ieremiae* & *Iachomii* Patriarchae in eius locum paulo poſt intruſi foenerabit. Sic autem ille libro XXVII. *Saxoniae* ſuae, quod rem praeſentem attinet, ſcribit: *Eodem fere tempore, quo Tauricae Cherſoneſi partem borealem Provinciis Turcicis Amurathes Tertius adiunxit, parum abfuit, quo minus omnia Chriſtianorum templa Conſtantinopoli (quorum triginta circiter in Monaſteriis, & alibi ſupereſſe intelligo) in Moſchaeas ſeu Mahometicae religionis ſpeluncas, ſummi Sacerdotum Turcicorum Pontificis (quem Mupdi adpellant) inſtinctu converterentur. Cumque Graeci, Armeni, & aliae gentes Chriſtianae ſubiectiſſime deprecarentur, & Mahometis Secundi ſequentiumque Imperatorum privilegia, Chriſtianis de libero religionis eorum exercitio conceſſa, adlegarent, reſponſum eſt:* Eo tempore propter urbis ſolitudinem, & Muſulmanorum paucitatem indultum eſſe; nunc vero, quum tanta Mahometicae religionis cultorum in urbe frequentia ſit, ut templis pluribus indigeant, aequum eſt, ut illis Chriſtiani cedant. *Poſtea Hiſpaniae Regis apud Venetos Legatus ſcripſit*, Amurathem omnia Chriſtianorum templa Byzantii deturbaſſe, & in ſua vertiſſe; idemque Ieroſolymis fieri mandaſſe. *Sed duo tantum Chriſtianorum templa Byzantii eo tempore occupata*

bis : *De his quae heic meditamur , quid tibi nam ſcripſerim ? Praeſidet heu Pachomius , qualis , o popule & leges , Chriſti Eccleſiae Antiſtes ! & qui multorum curam in ſeipſum adſumſerit , non corporum , hoc enim malum eſſet tolerabilius , ſed animarum , quod eſt atrociſſimum.* Quum igitur *Ieremias* ſuam tertio Cathedram obtinuiſſet , rem inſolitam adgreditur , & *Theodoro Ioannidae* Moſcoviae Czaro gratificaturus , ut videtur, novum & peculiarem Ruſſiae Patriarcham anno 1588. conſtituit ; ita tamen ut Byzantinum Patriarcham doctorem , & praeſulem in gravioribus cauſſis ex eo tempore , & adhuc nihilo minus ſubinde Rhuteni conſulant , & de cetero cum hoc non tantum , ſed univerſa etiam Eccleſia Graeca Patriarchali , quantum ad fidei dogmata omni ex parte ſentiant , ut ſcribit *Zeltnerus Breviar. Controv. Eccleſ. Graecae , & Rhutenicae Cap. III. §. XI. Nicolaus* autem *Bergius De ſtatu Eccleſiae Moſcoviticae* tradit , primum Patriarcham Moſcoviae fuiſse *Iobum* quemdam , qui prius erat tantum Moſcoviae Metropolita . Hunc autem creatum fuiſse ait anno Mundi 7063. a *Ieremia* Patriarcha CP. qui ipſe in Moſcoviam venerit cum Metropolita uno , & duobus Epiſcopis Graecis ; in magna autem Novogardia poſuiſse Archiepiſcopum *Alexandrum* in primum eiusdem Metropolitam : quae quidem ſaltem quoad aetatem cum iis , quae *Zeltnerus* habet , minime congruunt . Annus enim Mundi 7063. iuxta Graecos , eſt Chriſti 1555. quo quidem tempore Patriarcha CP. non *Ieremias II.* erat, ſed *Ioaſaphus* fuiſse videtur ; quare oportet , ut in numeris error ſit apud *Bergium*. Anno 1592. quum *Ieremias* Conſtantinopoli Synodum coegiſſet , in ea [illegible] etiam

etiam de cauſa *Maximi Margunii* actum eſt. Inſimulabatur enim hic Cytherorum Epiſcopus, quod de proceſſione Spiritus Sancti non recte cum aliis Graecis ſentiret, ſed ad Latinorum partes deficeret; ob cuius dogmatis defenſionem *Gabrieli Severo* Archiepiſcopo Philadelphiae, alias amico ſuo, ſuccenſuerat, & amicitiam in odium verterat, multa amarulenta contra eum ſcribens; id quod etiam ex his Epiſtolis, quas edimus, late patet. Quare *Ieremias* Epiſtolam *Margunio* ſcripſit, qua eum hortatur ut nihil novi circa dogmata inferat, & cum *Gabriele Severo* iterum amicitiam ineat, & igni det omnia, quae contra eum ſcripſerit; quae quidem Epiſtola ſuperius a nobis Graece edita eſt *pag.* 3. Prolixam Epiſtolam, ſeu potius Apologiam *Margunius*, quam Graece damus *pag.* 4. *Ieremiae*, & Synhodo reſpondit, orthodoxiam ſuam demonſtrans, & ea, quae ad proceſſionem Spiritus Sancti attinent, pluribus diducens. Quamquam vero haec *Ieremias* contra *Margunium* egerit, tamen ab eo tres libros *De proceſſione Spiritus Sancti*, quos *Margunius* ei dicaverat maxime probatos fuiſſe conſtat ex hac eadem *Margunii* Epiſtola, in qua ita ſcribit: *Vt autem cuncta cognoſcas, opus quoddam in tres libros diſtributum, de quo tibi iam ſcripſi, a me elucubratum eſt, & ſacratiſſimo Conſtantinopolis Domino Ieremiae conſecratum, qui illud utique publici iuris feciſſet, ut mihi pluribus demonſtravit, niſi, &c.* Illa Synhodus a *Ieremia* CP. convocata eſt adverſus Calendarium Gregorianum die 12. Februarii, ut ſcribit *Doſitheus* Patriarcha; cui interfuit etiam *Meletius Pegas*, & Patriarcha Alexandrinus ſubſcripſit, quod *Nicol. Papadopolus Par. II. Hiſtor. Gymnaſ. Patav. Lib. III. Cap. XLII.* memoriae prodidit. Et ſic poe-

N ni-

nitere ſe oſtendit, quod pro eo Calendario recipiendo tanta pericula primum incurriſſet, quare ſaluti ſuae conſulens, palinodiam nunc cecinit. *Ieremiae* Opera ſcripta haec commemorantur.

Plures Epiſtolae ad Martinum Cruſium, & ad Theologos Tubingenſes.

Ecteſis de Moribus Graecorum

Ecteſis praeceptorum Eccleſiae

Paraeneſis ad Germanos de Euchariſtia.

Reſponſa XIV. ad varia interrogata

Synodicum excommunicationis in eos, qui Chriſtianos deferunt Agarenis.

Iudicium de Calendario novo Gregoriano.

Reſponſum Ieremiae Conſtantinopolis, & Silveſtri Alexandriae.

Reſponſum ad Poſſevini criminationem.

Reſponſum poſtquam iam ab exſilio redierat.

Reſponſum primum ad Iacobum Andreae, & Martinum Cruſium Tubingenſes

Reſponſum ſecundum ad Tubingenſes,

Reſponſum tertium ad eosdem.

Epiſtolae duae ad Heerbrandum, & Cruſium.

Epiſtola ad Metropolitam Ruſſiae

Epiſtola ad Chriſtophorum Pelargum.

Epiſtola ad Maximum Margunium.

Epiſtola ad Davidem Chytraeum.

Sciendum tamen eſt *Ieremiam* in hiſce omnibus controverſiis, & ſcriptis, Theodoſio *Zygomala* magnae Eccleſiae CP. Protonotario, maxime eſſe uſum, ut ſcribit *Demetrius Procopius*. Et haec quidem de *Ieremia II.* Patriarcha CP. adnotare habui ex *Philippo* Cyprio, *Manuele Malaxo*, *Maximo Margunio*, *Matthaeo Cicala*, *Demetrio Procopio*, *Martino Cruſio*, *Stephano Gerlachio*, *Henrico Hilario*, *Io-*

heu malam ſortem! cuſtodibus, latronum more, initio traditus fuiſſet, & ob noſtram ipſorum ſtoliditatem dudum ex mandato Sultani fuiſſet relegatus. Et mihi pluſquam oportet hic verſanti de eadem materia alia nonnulla compoſita fuerunt, veluti compendium illius operis praecedentis (1), & dedicata fuerunt Principi Hungaro-Valachiae (2). Haec igitur quum bene didiceris, ne ſubſpiceris de reliquo quoad me,

 & li-

Io. Alb. Fabricio, *Davide Chytraeo*, *Io. Leunclavio*, *Nicol. Papadopolo*, *Thomaſino*, *Guſt. Georg. Zeltnero*, *Io. Gotifr. Hermanno*, *Nicol. Bergio*, aliiſque.

(1) Niſi hoc opus ſit idem cum *Dialogo Graeci cum Latino de proceſſione Spiritus Sancti*; eius certe in ſaepius laudata *Praefatione* non meminimus, illudque etiam omiſerunt *Comnenus*, & *Fabricius*.

(2) Valachiam video a Graecis in duas partes dividi, quarum unam *Moldo-Valachiam*, alteram *Hungaro-Valachiam* adpellant; & hanc quidem Valachiae abſolute dictae reſpondere arbitror, illam autem Moldaviae. Melius vero hanc *Maiorem*, illam *Minorem* diceremus. *Philippus Cluverius Introduct. ad Geographiam Lib. IV. Cap. XIX num. III. Quae nunc duae Regiones Valachiae, & Moldaviae nominibus diſtinguuntur, ſuperiori aetate uno Valachiae vocabulo cenſebantur . . . . Dividebatur autem tota Provincia in Maiorem & Minorem: Maior poſtea Moldaviae nomen recepit; Minori Valachiae titulus remanſit*. His *Io. Boterus* etiam adſtipu-

& libera ab huiuſmodi certamine, quod ſubſtineo quoad te, ſcribens ſimul & adimplens mihi ea, quae ſunt gratiſſima; & priorem, ſi quod ita ut non debuit accidens inveteratum eſt, renovans & revocans tuam erga me dilectionem & bonitatem (1. Ea, quae ad Eccleſiam pertinent, conſtitutionem in praeſens acceperunt adeo perverſam, ut & omnium

ſtipulatur; & *Minor Valachia* ideo *Hungaro-Valachia* dici videtur, quod Hungariae ac Danubium confinis ſit, vel quia olim Regis Hungariae vectigalis erat: *Maior* autem ad diſtinctionem *Moldo-Valachia* adpellatur. Harum duarum Valachiarum Principes, ambo Sarmaticae gentis vocabulo *Woevodae* nuncupantur; heic autem *Margunius* Principem ſimpliciter vocat, Graecae linguae genio inſerviens, quemadmodum ubi Sultanum *βασιλέα*, hoc eſt Regem dicit. Hoc temporis *Moldo-Valachiae* Voevoda erat *Ioannes Petrus*, ut ſuperius *pag.* 186. vidimus; quis autem Voevoda *Hungaro-Valachiae* eſſet mihi nondum licuit reperire. Ille Voevoda Iaſſi, hic Bucoreſti, urbibus Metropolibus, nunc reſident, ut ex *Cornel. Magnio*, & *Ant. Mar. Clario* liquet. Valachiae utriuſque incolae Graeco Ritui inhaerent: Graeci autem *Hungaro-Valachiae* Voevodam, qui ſaepe Graecus eſt a Sultano electus, veluti ſuum Principem obſervant atque ſubſpiciunt.

(1) *Maximum Margunium* inter & *Gabrielem Severum* arcta quondam amicitia interceſſerat; ſed quum dein-

nium tragoediarum ſupergreſſa ſint miſerationem. Deus vero apud quem nihil omnium impoſſibile eſt in meliora huius converſioni provideat. Incolumem te conſervet Dominus anima & corpore, ſacratiſſime Domine, & Pater in Chriſto mihi reverendiſſime, orantem ſuper tuo Maximo.

Saluta meo nomine, rogo, doctiſſimum & una nobiliſſimum Aloyſium Lulinum (1), & reliquos amicos. Ex venerando Monaſterio Dominae Chryſopeges (2) Galatae (3). Scirrhophorionis octava ſtantis anno ab Incarnatione Servatoris noſtri MDLXXXIV.

deinde ſuper dogmate de proceſſione Spiritus Sancti inter ſe non convenirent ſimultas inter eos exorta eſt; quum praecipue *Gabriel* natura iracundus eſſet, ut *pag.* 126. & 127. *Margunius* ei exprobrat; & *Margunius* e contra ſuae opinionis amore compulſus nonnulla adverſus *Severum* ſcripſiſſet, & quaedam typis etiam edidiſſet; ut ex Epiſtola *Ieremiae* Patriarchae ad *Margunium* patet, & pariter ex Epiſtola eiuſdem *Margunii* ad Synhodum Conſtantinopolitanam ſcripta. Sed an hoc anno haec omnia iam *Margunius* contra *Severum* feciſſet, ignoro. Huius cum *Severo* contentionis a *Margunio* habitae hiſtoriam clarius ex ſequentibus Epiſtolis percipiemus.

(1) Vide ſuperius *pag.* 156.

(2) Conſule ſuperius *pag.* 162.

(3) Adi ſuperius *pag.* 167.

Sanctiſſimo Archiepiſcopo Philadelphiae , & in Chriſto longe Reverendiſſimo Patri Domino Gabrieli Severo , Maximus minimus Hieromonachus Margunius , bene agere .

TAnto maior me divini tui & ſacri capitis quotidie cupido inceſſit , Sacratiſſime Domine , quanto mihi moleſtius eſt hic commorari ; & niſi bona ſpe in hoc eſſem , vel quod celerrime in patriam ſim reverſurus , vel quod alia fortuna uſurus , fortaſſe utique ſine conſolatione omnino eſſem : verumtamen horum duorum altero tranquillior , & aliquo modo erga res veſtras propenſior animus eſt . Etenim & ante hac valde praebuiſti , & nunc nihil minus occaſiones es praebiturus . Sed de hoc Deo meditor , cui & hoc meum propoſitum conſecro . De his vero , quae hic meditor , quidnam ad te ſcripſerim ? Praeſidet , heu , Pachomius (1) qualis (o populè & leges) Chriſti Eccleſiae Prae-

(1) *Pachomius* Lesbius laicus homo , qui expulſo *Ieremia* , Patriarchicum ſolium hoc anno invaſit ; cuius hiſtoriam ſuperius expedivimus *pag.* 190. 191. Vt autem quis pleniorem Eccleſiae Conſtantinopolitanae , poſtquam ſub Turcarum tyrannidem venit , con-

confuſionis, & frequentium Patriarcharum CP. intruſionum, & deiectionum, notitiam habeat, audiat doctiſſimum *Tournefortium* ita *Tom. I.* ſui *Itinerarii Epiſt. III.* loquentem: *Quid de Eccleſia dicendum eſt, cuius caput non eſt a Sancto Spiritu deſignatum, ſed ut plurimum electum a Sultano, vel primario Vezirio, qui Chriſtianum nomen quammaxime exhorreſcunt? Nil triſtius eſt, quam conſiderare, Graecos ipſos tantae eſſe abominationis auctores. Turcae nihil amplius umquam exegere, quam certam argenti ſummam, ut novo Patriarchae diplomata ac privilegia concederent: Graeci omnium primi Patriarchatum nundinari coeperunt, Antiſtitis obitu non exſpectato, qui iam Patriarchalem Cathedram obtinebat. Haec hodie dignitas ſexaginta millibus argenteis, ſeu ſcutis, venundatur. Futilis praetextus eſt, iam ſummam dari ad canonicae electionis confirmationem obtinendam; unus Patriarcha alium ſaepe e ſolio deturbat: & quidam poſtquam ſemel, & iterum deiecti ſunt, in ſedem ſuam rurſus reſtituuntur. Cruſius adfirmat a Simone Trapezuntio omnium primo Marcum Patriarcham ſede motum fuiſſe, quum mille aureos* Muhammedi II. *numeraſſet. Non ideo tamen omnes Patriarcharum promotiones ſimoniacae ſunt: ſed e contra non eſt ambigendi locus, quin Sancti quidam viri in Eccleſia Graeca ſint, qui pretio quolibet hanc dignitatem emere non ſubſtinerent, & qui poſt electionem canonicam ab Epiſcopis peractam, non alio fine conſuetam argenti ſummam Vezirio dant, quam ut diplomata obtineant; non ſecus ac Antiſtites noſtri faciunt, ubi Bullas expedire dicuntur. Id quidem improbandum eſſe non videtur; ſed Graeci negare non poſſunt multos ſuorum Hieromonachorum pecunia intercedente*

Pa-

Patriarcham ſuum ſanum & vegetum aliquando non expuliſſe, maiori ſumma data, quam ipſe largitus fuiſſet. Id autem nonne Patriarchatum emere, & ſi minus haec, quae nam erit ſimonia adpellanda? Quando ambitio adeo monachum excoecat, ut ſuam miſſionem a Satana emere velit, primum ad ſuas partes aliquos amicos Epiſcopos traducit, qui nihil certe in huiuſmodi promotione deperdunt; munera Vezirio obfert, & nundinatio ſtatim peracta eſt. Candidatus, licet pauper, divites Mercatores invenit, qui magno & certo lucro ſibi propoſito, neceſſarias omnes impenſas faciunt. Si Vezirius Conſtantinopoli non eſt, res cum urbis Gubernatore tractatur. Statim ac argentum numeratum eſt diplomata conceduntur, & novus Patriarcha a ſuae factionis Epiſcopis comitatus, nulla veteris Pariarchae, & reliqui Cleri, ratione habita, ad Vezirium, ſeu Gubernatorem Caftanum accepturus contendit. Caftanum veſtis eſt florida & polymita, quam Sultanus Legatis, & Viris conſpicuam dignitatem recens adeptis donat. Epiſcopi comitatus Patriarchae veſtem ſuam pariter accipiunt, & pompam ducunt ad Eccleſiam Patriarchalem in loco, qui dicitur Balat, quam praecedit ſatelles aulae regiae, duo lictores ſatellitii regii, ſecretarius Vezirii, aut urbis Gubernatoris, & militum Praetorianorum cohors; Epiſcopi vero, & Monachi ſubſequuntur. Statim ac ad Eccleſiae portam pervenere, diplomata Patriarchae leguntur, quibus Sultanus omnibus ſui imperii Graecis iubet, ut illum pro capite ſuae Eccleſiae habeant, ei neceſſarios reditus contribuant, quo ſuam dignitatem ſervet, & debita ſolvat, ſub poena fuſtigationis, bonorum confiſcationis, & Eccleſiarum interdicti. Nonne ſunt haec egregia miſſionis ſigna? Poſt-

quam

quam diplomata Patriarchae lecta ſunt, Eccleſiae poſtes reſerantur; & ubi Vezirii Secretarius Patriarcham in Cathedra ſtatuit, recedit cum aliis Turcis, qui omnes certam argenti ſummam ſecum aſportant. Non eſt dubitandum quin novus Patriarcha occaſione hac bene utatur: tyrannis ſimoniae ſuccedit: & initium ſumit a ſignificando iuſta Sultani iuſta omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſuae ditionis. Hoc novum caput titulo παναγιότης σου, *&* παναγιότατος *honoratur; & ſemper tamquam ſimplex Monachus indutus eſt; eius manum oſculantur, aut eius corollam, ut vocamus, eam ex ore ad frontem traducentes. Maxima eius occupatio eſt, in reditibus cuiuſcumque Antiſtitis examinandis: eis vectigal imponit, indicitque inſtanter ſecundis litteris ſcriptis ut ſummam praeſcriptam mittant: ſecus Epiſcopatus plura obferentibus conceduntur. Antiſtites huic negotiationi adſueti, ſuffraganeis ſuis minime parcunt: Papae populum ſibi ſubditum contribuere compellunt, & aquae benedictae guttam, ut ita dicam, non ſpargunt, niſi in anteceſſum mercedem acceperint. Si temporis decurſu Patriarcha pecunia indiget, huius exactionis redemtores inter Turcas quaerit; quique plus obfert, hic per Graeciam diſcurrit ſummam ab Antiſtitibus exigens. Vt plurimum pro viginti millibus argenteis, quos Clerus ſolvere tenetur, Turca uſque ad viginti duo millia exigit; & haec duo millia ſui laboris praemium ſunt: quamquam hic exactor in cunctis dioeceſibus alimenta ab Epiſcopis, & neceſſarias impenſas accipiat. Vi autem conventionis cum Patriarcha initae, privat & interdicit a functionibus Eccleſiaſticis Antiſtites, qui praeſcriptam pecuniam ſolvere detrectant: quare ſi minus argentum in numerato habent a Iudaeis mutuum magno foenore accipiunt,*

ſuis

Praeſul, & qui multorum in ſe ipſum curam ſuſceperit, non corporum, etenim tolerabilius utique hoc malum eſſet, ſed animarum, quod atrociſſimum. Inſuper vero Metropoleon plures venales (1) facile ſunt volentibus quibuſcumque. Inſpectio autem horum, de Eccleſia, inquit, diſpenſatio; aliter enim haud ſane liberata fuerit a manibus tyrannicis impudentiae. (2) Et quomodo mendacia ſteterint, niſi & nos aliquid erremus, & quomodocumque non confirmemur, ut ea quae veritatis ſunt teneamus? Deinde vero ad ipſum quidem alii utpote invaſorem, & illegitime conſtitutum, eiiciendum, ſeipſos vero opponendum inducuntur; non ſane tamen hi, ut arbitraris, id quod Eccleſiae conducit, curant, quod dicere meum eſt, ſed ut ipſis magis liceat propri-
is

ſuis Dioeceſanis fide iubentibus. Talis eſt bodie Ecclesia haec alias adeo florens, & quae Antiſtites ſuos Athanaſios, Baſilios, & Chryſoſtomos habuiſſe gloriabatur. Hactenus *Tourneſortius*.

(1) Simonia apud recentiores Graecos multum invaluit, ut ſtatim ex *Tourneſortio* adparuit, quod dolens Patriarcha *Ieremias*, huic corruptelae & abuſui ſe oppoſuit eo modo, quem ſuperius *pag.* 174. retulimus. Sed *Pachomio* praeſidente iterum, ut videtur, hoc malum obtinuit.

(2) Hic excuſare videtur intruſionem *Pachomii*; aliter enim Graeci iram Sultani non effugiſſent, iuxta ea quae narravimus ſuperius *pag.* 189.

is uti voluntatibus. (1) Hoc hoc malum eſt, quod nos perdidit. Propter hoc & tyrannicae potentiae ſubiacere permittimur, quum ipſi nobis ipſis cauſſae fuerimus, ut dogmata, & Eccleſiaſticae leges everterentur (2). Sed quid fecerimus? Melius enim revera ab huiuſmodi liberari, quam a potentia, quae nobis dominatur. (3) Tuum igitur fuerit de reliquo in tua divinitus inquirere; novit enim Deus facere voluntatem timentium eum, & infleḡi miſericorditer ad eos, qui perſequuntur tota anima & ſua, & ea quae ſalutem proximi adtinent. Vale mihi

(1) Quocumque fine Graeci ſe *Pachomio* oppoſuerint, certe voti compotes facti ſunt, & ex uſurpata cathedra demum illum eiecerunt anno 1587. ut ſupra prodidimus *pag.* 191.

(2) Siquid unquam *Margunius* recte ac ſapienter effatus eſt, id eſt quidem, quod hac periodo continetur. Videnda omnino Epiſtola *Nicolai V.* Conſtantino Palaeologo Imperatori ſcripta anno 1451. apud *Arcudium* in *Aureis Opuſculis Theologicis*.

(3) Licet Turcarum in Graecos tyrannis immaniſſima ſit, ut apud *Chriſtophorum Angelum* in *Enchiridio Cap. I. II. & III.* videre eſt, & apud eius Enarratorem *Georgium Felbavium*; tamen recte *Margunius* cenſet ſatius eſſe ab erroribus & corruptelis, & a *Pachomii* tyrannide, quam a Turcarum impotenti dominio liberari. Maius malum everſa pietas atque iuſtitia, quam aerumnoſa, & miſera ſervitus.

mihi, Sacratiſſime Domine, & mei in divinis precibus ne obliviſcaris, precor, & mihi reſcribere ne dedigneris; gratificatus enim fueris mihi quam maxime.

Ex venerabili Monaſterio Dominae Chryſopeges Galatae. Scirrhophorionis quinta deſinentis, anno ab incarnatione Servatoris noſtri MDLXXXIV.

Sacratiſſimo Archiepiſcopo Philadelphiae, & in Chriſto longe Reverendiſſimo Patri, Domino Gabrieli Severo, Maximus Margunius humilis Epiſcopus (1) Cytherorum, incrementum Sancti Spiritus in opera ſalutaria.

Libellus de proceſſione Sanctiſſimi Spiritus, qui multo ante a me concinnatus fuit, Sacratiſſime Domine, tantum abeſt, ut pugnet cum noſtro piiſſimo dogma-

(1) *Cythera*, Inſula in mari Aegeo adiacens Promontorio Maleae apud ſinum Laconicum, oppido & portu inſtructa eſt. Oppidum eiusdem nominis eſt *Cythera*. Portus egregius, qui *ἐπίνειον navale* ob capacitatem dictus fuit a *Pauſania*. In hac Veneris ſacra erant, cui antiquitus templum *Pauſanias* laudatus obſervat fuiſſe excitatum. Hodie *Cerigo* Inſula adpellatur, olim etiam *πορφυρῦσα*, ut apud *Perie-*

dogmate, quin potius ipſum ſtabilit atque confirmat. Conſentiunt enim quodammodo, quatenus adparet, quaecumque ad *Additionem* (1) referuntur, ſententiae illorum, qui apud nos diſſentiunt. Illa autem vere ad ſermonem noſtrorum doctorum, & quibus contradici nequit, Synhodi, quae pri-

Periegetae Scholiaſten, qui rationem reddit, videre eſt. Montibus obſita eſt, atque ſilveſtris, & non adeo culta atque fertilis, ut a quibusdam perhibetur, prout obſervat eruditiſſimus *Sponius* in *Tom. I.* ſui *Itinerarii*. Elmius.

Chriſtophorus Bondelmontius Florentinus, qui anno MCCCCXVIII. Aegeum, Helleſpontumque percurrebat, ut conſtat etiam ex Codice MS. Operum *Luciani*, qui in Bibliotheca Laurentiana adſervatur, & in quo ipſe *Chriſtophorus* adſcripſit ſe illum in Creta emiſſe praedicto anno, Deſcriptionem Inſularum, quae per haec maria ſparſae ſunt, exaravit, cuius ἀντίγραφον mihi commodavit Vir doctrina & nobilitate clariſſimus *Ioſeph. Bondelmontius* ex eiusdem *Chriſtophori* incluta familia. Hic in ea *Deſcriptione* ita de Cytheris loquitur, quae *Citri* ſuo tempore vocata eſſe ait: *Circuit autem haec Inſula milliaria LXXX. & quia ardua in montes ſurgit, ideo pauci eam colunt. Eſt autem haec inſula verſus ſeptemtrionem non longe a terra firma, in qua Sparta ampliatur civitas.*

(1) *Additionis* nomine intelligitur particula illa *Filioque*, in Symbolo addita, cuius hiſtoria eſt quae ſequitur. Quonam tempore, quove auctore vocula *Filio-*

Filioque Symbolo intexta fuerit, & publice in Occidentis Eccleſiis cani uſuvenerit, non ſatis compertum eſt. *Manuel Calecas* in libro contra Graecos, *Damaſum* huius facit auctorem, idque ab illo inſtitutum fuiſſe ſcribit ad novam *υἱοπατρίας* haereſim compeſcendam, *Filium videlicet Patrem eſſe Spiritus Sancti*; & huius rei teſtem citat Hiſtoricum quemdam nomine Σχυλίξην, quem *Ioſephus Methonenſis* in *Confutatione Epiſtolae Encyclicae Marci* vocat *Georgium Ariſtinum*, qui memoriae prodidit, ſtatim poſt ſecundam Oecumenicam Synhodum, *Damaſum* Symbolo iſtud addidiſſe. Sed hoc falſiſſimum ex eo, quod poſt aliquot ſecula Romanus Pontifex de eo conſultus vehementer improbarit. Certum tamen eſt, prius in aliis Occidentis Eccleſiis, quam in Romana id uſu receptum; & in Gallicana praeſertim, de qua illuſtre habetur teſtimonium ex Actis legationis a Synhodo Aquiſgranenſi ad Leonem Papam Tertium, Carolo Magno imperante, anno Chriſti DCCCIX. ex quibus colligitur, Romanum Pontificem, quum ſibi diſplicere ſignificaſſet, quod innovatum aliquid in Symbolo fuiſſet, idque publice caneretur, tamdem Legatis dixiſſe, ſe, ſi priuſquam caneretur interrogatus fuiſſet, ne inſereretur reſponſurum fuiſse; & quoniam in Romana Eccleſia non cantabatur, etiam in Palatio eiusdem cantandi conſuetudo intermitteretur. Hinc igitur adparet, ſub annum DCCCIX. in Galliis, & forte in aliis etiam Provinciis Symbolum cum addita voce *Filioque* publice cani coepiſſe. Hoc Romana poſtmodum Eccleſia ab illis accepit, una cum ritu ipſo Conſtantinopolitani Symboli publice canendi in Miſſa, quem ritum an non Galli, & Germani ab Hiſpanis acce-

primum eam adiecit (1). Profectò ſane & ex ipſis Theologorum Graecorum, & Latinorum ſententiis, mentis rectum iudicium inſerit, & hoc praeter alia demonſtrans, licuiſ-

ceperint, ex iis, quae ſcribit *Ioannes Biclarienſis* ſubſpicari eſt. Nec inconſulte Romana Eccleſia Symboli cum *Additione* cantandi conſuetudinem introduxit, ſed ut Graecorum placita, & opiniones deſtrueret, qui Spiritum Sanctum a Patre tantummodo procedere, & non a Patre, & a Filio, opinabantur. Et quamvis Graeci acriter adverſus eam obpugnaverint, non poſſe nominatim exprimi in Symbolo additam vocem *Filioque*, quod hac additione interpolatum eſſet Symbolum, & communis Fidei Chriſtianae violata & corrupta teſſera; & Latini ſanctionem Synhodi tertiae Oecumenicae Epheſinae tranſgreſſi eſſent, quae novam ullam Fidei formam componi vetuit praeter Nicaenam: has rationes nullius momenti eſſe, & facillime refelli poſſe liquet ex eo, quod Eccleſia non addiderit quidpiam ei, quod Conſtantinopolitana Synhodus ſancivit in Symbolo; nec ei contradixerit; ſed id quod eadem Synhodus tacens credidit, verbis palam declaraverit atque explicaverit. Et idcirco haec non προσθήκη, ideſt *additio*; ſed ἀνάπτυξις, *Explicatio*, & σαφήνεια, *declaratio*, proprie & merito dicenda eſt, ut *Andreas Rhodius*, & *Ioſephus* Methonenſis, aliique viri doctiſſimi demonſtravere. *Elmius*.

(1) Somniat hic *Margunius* additionem illius vocis *Filioque* in Symbolo a neſcio qua Synhodo factam fuiſſe; quum tamen haud ita rem ſe habuiſſe ex antecedenti ſcholio pateat evidenter.

licuiſſe eam adiungere. Etenim poſt primam oecumenicam Synhodum Nicaenam (1), & priuſquam de hoc dubitaretur in tertia, propter rationabilem cauſam, & noſtro dogmati conſentientem, id evenit. Quamobrem & Romae illa praedicata fuit in Symbolo uſque ad ſeptimam Synhodum (2), quam rem & Maximus diviniſſimus in Epiſtola ad Marinum Cyprium Presbyterum conteſtatur (3); pariterque Eccleſiae ſibi invicem unitae ſunt. Colligite vero

(1) Hoc Concilium fuit primum oecumenicum, Nicaeae in Bithynia a Conſtantino Imperatore congregatum, & ſub illo celebratum anno CCCXXV. *Elmius*.

(2) Quid ſibi hic velit *Margunius* ignoro; deſipit vero dum putat Romae *Additionem* illam in Symbolo cantatam fuiſſe uſque ad ſeptimam Synhodum, hoc eſt, Nicaenam ſecundam, quae contra Iconomachos anno DCCLXXXVII. celebrata eſt; id quod patet ex iis, quae in praecedentibus ſcholiis adnotata fuerunt. Ceterum heic obſervandum obiter, priora ſeptem oecumenica Concilia plurimi a Graecis fieri; tanti autem a Moſcovitis, ut praeter haec, omnia alia Concilia, *maledicta*, *perverſa*, *& haereſi turpiter depravata eſſe dicant*, quae ſunt verba *Gvagnini* de Rhutenorum religione ſcribentis.

(3) *Maximus* hic, patria Conſtantinopolitanus, anno DLXXX. natus; qui, quum Heraclius Impera-

vero ſimpliciter & integre , ex Patre , & Filio procedere Spiritum , in demonſtrationem , & conſtitutionem conſubſtantialitatis Filii cum Patre , & eodem modo conſubſtantialitatis eiusdem Spiritus cum Patre , & Filio ; etſi ad Patrem , ut ad cauſam eius Perſonae , & principium (&

O iſthuc

perator , cui Protoaſecretis erat , in haereſim Monotheleticam incidiſſet , aulam deſeruit , & in Monaſterium Chryſopolim dictum prope Conſtantinopolim ſeceſſit ; cuius poſtea praefecturam ſibi demandari paſſus fuit. Anno DCLXII. VI. Id. Iun. Imperatoris iuſſu in Lazicorum regionem ablegatus, demum die XIII. Auguſti naturae conceſſit. Vir omni diſciplinarum genere egregie excultus , geſtis illuſtribus , & ſcriptis celeberrimis de Eccleſia benemerentiſſimus ; inter quae ad Marinum Cyprium Presbyterum Epiſtola eſt , in qua de proceſſione Spiritus Sancti agit diſertiſſime : cuius teſtimonio *Margunius* heic probare nititur , *Additionem* in Symbolo , non ita recentem eſſe , ſed longe vetuſtiorem. Divus tamen *Maximus* in ea epiſtola , Latinorum tantum cauſam ſublevat , quod Spiritum Sanctum dixerint a Filio procedere. Verum de Symbolo , & Additione *Maximus* verbum nullum : ſed de ſolo dogmate , cuius apud Latinos antiquiſſima eſt profeſſio. Quare neſcio quo pacto *Margunius* , ad probandum , *Additionem* antiquitus cani in Symbolo conſueviſſe , ex Epiſtola hac Divi *Maximi* teſtimonium heic producat. Sive fallebatur : ſive falſum proferens alios cavillari dedita opera ſtudebat. *Elmius*.

iſthuc ipſum ita ex Patre, & Filio, progredi (*procedere* iuxta Latinos dicitur) referatur, & ex ipſo in ipſa ex Patre & Filio proceſſione implicite intelligatur habere ſubſtantiam. Et aliquando recipere eſt conſtitutionem *Additionis* ſecundum quid, quum ad motionem videlicet illius temporis Patres neceſſario prorſus reſpicerent; aliquando vero minime huic conſonant: quae quidem malum in Eccleſiam intulerunt propter eos, qui illorum mentem adſecuti non ſunt, & transfigurarunt purum quod mente (1) praeditum eſt, in adulterinum; quod longius ſilentio amandarunt (2). Vniverſa autem haec, dogma noſtrum bene firmant,

(1) Puto *Margunium* heic ſignificare *puritatem doctrinae*, quae a *mentem habentibus* & *recte ſentientibus* retinetur.

(2) Huius cavilli auctor haudquaquam primus *Margunius* fuit, ſed antiquae ſunt Graecorum veritati repugnantium neniae, & effugia; de quibus audiendus eſt Vir doctiſſimus *Dionyſius Petavius Lib. VII. de Trinitate Cap. XVIII. §. IV.* ita diſſerens: *Alterum Graecorum effugium eſt, quod paſſim ab illis obponitur; pleraque veterum loca, quae Spiritum Sanctum a Filio procedere, vel a Patre ſimul & Filio docent; non de ſubſtantiali aeternaque productione intelligi; ſed de miſſione illa communicationeque, qua in creatas res diffunditur. Quamobrem* ὁμωνύμως, *& ancipiti ſignificatione dicunt voces illas*

mant, & ad noſtrum iure merito alienum adtrahunt; nihilque eſt quod ſuum dogma noſtro praeferat; ita ut concinat noſtro perficiens conſultiores ſimul & intelligentiores illius, quo volentes nolentes ſequantur illud, quod apud nos in honore eſt; & ad unionem quidem exhortans, ſi minus tuam tecum, bone vir, & nobiſcum, univerſis tamen conducentem, & noſtrorum nihil im-

las accipi; procedere a Patre, vel Filio: Spiritum eſſe Filii, ac Patris; & ceteras eiuſdem modi. Sunt aliae complures: ut late apud Hugonem Eterianum Lib. III. Cap. XI. probant Graeci. Sic enim proficiendi verbum aequivoce ſumi, quum dicitur Chriſtus profeciſſe ſapientia. Sic benedicendi verbum quum dicitur, Benedicite omnes Angeli: & quum idem verbum ad inanima transfertur. Item eſſe de aliquo, ambigue uſurpatur. Nam & Chriſtum de Spiritu Sancto eſſe ait Angelus iis verbis: Quod in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt: & idem tamen de Maria Virgine natus eſſe perhibetur. Eodem modo, aiunt Graeci, procedendi vox ſignificat interdum aliquid de loco ad locum moveri: aliquando mitti, & dari: alias ex cauſa, ſeu principio exſiſtere. Vide inter cetera Reſponſum ſecundum Ieremiae ad Wirtembergenſes. Elmius.

Eadem reperire fere eſt in Epiſtola II. *Cyrilli Lucaris* Patriarchae CP. ad *Io. Vytembogardum*, ſcripta anno MDCXIII. apud *Aymonium in Monumentis authenticis Eccleſiae Graecae*, & inter *Epiſtolas praeſtantium Theologorum*.

mutantem. Talia tibi a nobis amice, & filialiter, & in primis, id quod iuſtum & rationabile eſt complectentia, o mihi divinum & ſacrum caput; ita ut neque ipse de reliquo apud te ipſum recte faciens dubitaveris; & nos non fruſtra ſubſpecti in alio erimus, qui huc uſque Deo auxiliante circa dogmatis pietatem, quamvis alias peccatores ſimus, nobis ipſis optime proſpeximus, & alios ad hoc ipſum pro virili portione adducere recte nobis omni ſtudio propoſuimus: tantum abeſt, ut quomodocumque elegerimus novum aliquid introducere etiam in poſterum: cum Chriſto dicimus; nihil minus de induſtria adgreſſi ſumus. Si vero alii aliter de nobis ſive praecedenter ſenſerunt, ſive & in praeſens ſentiunt, hoc quid ad nos? Ipſi beatorum Patrum maledictionibus obnoxii erunt, ita ad nos in tempore peſſime inceſſendos, diſpoſitos eſſe eligentes, & malo tenaciter inhaerentes; & de hoc tremendo Chriſti tribunali adſtantes rationem reddent, utpote qui cauſae fuerint parvulis ſcandali, poſt ea, quae minitatae ſunt Patriarchicae litterae. Omitto & propter quid cauſae poſitae fuerint. Ego enim, & Deus teſtimonium perhibet conſcientiae meae, nihil mihi ipſi circa hoc lapſo conſcius ſum, etſi diſrumpuntur ii,

qui

qui haec impudenter profitentur; quum ne aliis quidem ipſe ſcandalo fuerim in iis, quae recte providi, & ſententiam Patriarchicam habui hoc adprobantem quam maxime (1). Qui vero in contrarium materias ſive prius ſuo arbitratu praeparaverunt, ſive & in praeſens quoquo modo praeparant, ipſi ſibi ipſis & ſupplicia propter hoc praeparaverunt, & ſe ipſos miſerrimos reddiderunt. Vale mihi anima & corpore, Sacratiſſime Domine, ut in myſterio apud te ipſum retinens litteras, & ſi quoquo modo aliquid tibi in his praeter ſententiam dici videatur, ſolus ſoli, ſiquidem apud filium, ſi vero vis, & Pontifici Pontificum minimo, conferas libere, & in poſterum reſcribe. Oportet enim te aliis honeſti exemplar proponi, aliter quomodo adfecti erimus per ipſam pietatem? Ne forte hoc & nobis & aliis utique ſit pernicioſiſſimum. Non erit vero, ſi ſincere, & quomodo Deo placet, nobiſcum invicem reconciliemur, & ſincera dilectione nihil antiquius habeamus, cuius ego quidem non multo ante potentes cauſas praebere non veritus ſum, & Conſtantinopoli (2) degens,

 &

(1) Vide ſuperius *pag.* 171. & 193.

(2) Conſtantinopolis, olim Byzantium, Romanorum Imperatorum, primo omnium illuc Conſtantino Ma-

& priuſquam in eamdem (1) proficiſcerer ; & poſt reverſionem in patriam . (2) Tuum vero fuerit de reliquo hanc ad ſuum exitum perducere , & hoc officium qualicumque alii rei anteponere . Venetiis Hecatombaeonis tertiadecima , anno ab Incarnatione Servatoris noſtri MDLXXXV. (3)

Idem

Magno migrante , ſedes , urbs Thraciae ad Boſporum nobiliſſima eſt , adeoque notiſſima ac celeberrima , quam ab anno 1453. in ſuam poteſtatem redactam Muſulmanorum Sultani obtinent . Accuratam tantae urbis deſcriptionem plures edidere , inter quos eminent e Graecis *Anonymus* , & *Nicetas Choniates* apud *Bandurium* ; e Latinis *Anonymus* pariter apud *Guidum Pancirolum* , *Petrus Gillius* , & vir immenſa eruditione ſubſpiciendus *Carolus Ducangius* . Nos tamen quaecumque paulo antiquiora ſunt omittentes , de praeſenti Conſtantinopoleos quoad rem Eccleſiaſticam ſtatu ad harum Epiſtolarum illuſtrationem nonnulla delibabimus . Iam de Galata , & Monaſteriis Latinorum , quae in ea ſunt , tempeſtive verba fecimus ſuperius *pag.* 168. Iis nunc tantum haec ex *Turnefortii Epiſtola XII.* addemus . Heic Latini Eccleſiam D. Benedicti poſſident , quae ſub Genuenſibus ad Benedictinos ſpectabat ; ſed poſtea commune Perae eam Ieſuitis donavit . Recollecti autem ſeu Minores Obſervantes a 203. annis eccleſiam Deiparae ſacram habebant , iure Paroeciae ; ſed in praeſens Perae degunt e regione Hoſpitii Fratrum Terrae Sanctae . Hi neminem in ſuis aedibus excipiunt , quum Conſtantinopoli non

ſint ,

ſint, niſi ut negotia Terrae Sanctae procurent. Minores Conventuales Parochi Galatae erant a quadringentis annis; ſed quum eorum Eccleſia igne correpta fuiſſet, in Meſchitam deinde converſa eſt, quam Franci adpellant *Meſchitam ſancti Franciſci*, & Turcae *Meſchitam Valideae*; quae tunc Auguſta mater erat, & multas opes contulit, ut iterum hoc aedificium excitaretur. Minores hi Peram ſe contulere in aedem Palatio Legati Galli proximam, quum nondum locum alium pro eo, quem Galatae poſſidebant, obtinuerint. Quum tamen Parochi titulum non amiſerint, populos ſibi commiſſos in cubiculum ſuae domus, quod in Lararium converterunt, admittunt: & eorum Praefectus, Vicarius eſt Patriarchae Latini Conſtantinopoleos, qui ut plurimum Cardinalis eſt. Archiepiſcopus Spigae Minorita, Vicarii Patriarchalis olim munere fungebatur, & Perae menſe Auguſto anno 1705. naturae conceſſit. Sed non Latini tantum Eccleſias Galatae habent; habent & Graeci tres, ſi *Tourneſortio* fides, in loco, qui dicitur *Caracui*, inter quas Monaſterium eſt Deiparae *Chryſopeges*, cuius deſcriptionem ſuperius ex *Car. Ducangio* exhibuimus *pag.* 162. Sed ſex eſſe Graecorum Eccleſias Galatae *Croiſius Cap. VII.* diſerte adfirmat, quas etiam nominat, hoc eſt, *Ieſu Chriſti*, *Ieſu Chriſti Crucifixi*, *Deiparae*, *Sancti Ioannis*, *Sancti Demetrii*, *Sancti Nicolai*: *Croiſius* autem anno 1670. Conſtantinopoli morabatur. Habent unam etiam Armenii, quae Divo Gregorio dicata eſt. Et haec quidem quoad *Galatam*: ſed ex *Steph. Gerlachio* intelligere eſt Graecos plures adhuc Eccleſias Conſtantinopoli habere; & ad XL. illas adſcendere *Georg. Felbavius* auctor eſt. Inter has erat Domus

Patriarchae , in Monaſterio *Pammacariſtae* hoc eſt *Deiparae* , quod ſuperius *pag.* 181. aliquatenus deſcripſimus ; nunc addendum in templo huius Monaſterii adſervata fuiſſe corpus Mariae Salomae , Divae Euphemiae , & Columnam marmoream , ad quam Chriſtus flagellatus fuiſſe creditur , quae hiſce temporibus ad Eccleſiam S. Georgii , in praeſens Patriarchalem , translata fuiſſe videntur , ex iis quae narrat laudatus *Croiſius Cap. VII.* & confirmat ex parte *Cornelius Magnius* . Huic aliud templum adiunctum erat D. Ioanni Baptiſtae ſacrum quod *Trullum* vocant, a Sanctimonialibus Graecis inhabitatum. Sed quum quidam tradant Templum *Pammacariſtae* anno 1584. cum alio templo Graecis a Turcis ereptum fuiſſe , quod etiam ſuperius *pag.* 189. aliquatenus indicatum eſt ; non deſunt qui ſcribant tunc loco illius Patriarcham Templum Sanctorum *Petri* , & *Pauli* , in ſedem accepiſse . *Croiſius* tamen ſcribit ſuo tempore ſedem Patriarchalem fuiſse templum *D. Georgii* , quod antea Monaſterium erat Virginum Deiparae ſacrarum . Quare Patriarchae habitaculum pluries a tempore captae Conſtantinopolis mutatum fuiſse , exploratae fidei eſt : nam *Muhammedes II.* Patriarchae *Gennadio* templum Apoſtolorum cum propinquis aedibus inhabitandum conceſſit : antea enim ad S. Sophiae , Patriarcha cum ſuis Clericis habitabat . Quum vero praeter ſpem aliquando tempore nocturno in illa vicinia quidam eſset interfectus , metus Patriarcham inceſſit , utque tutior ſibi locus concederetur , Sultanum rogavit . Adnuit Imperator , & Templum *Pammacariſtae* ei adſignavit , quod uſque ad annum praedictum 1584. Patriarchae retinuerunt , ut memoriae prodidit *Henr. Hilarius* in *Appendice ad*

Phil.

Philippi Cyprii Chronicon. Narrat *Gerlachius* in Patriarcheio exſtare maximum opus, titulo: Συναγωγὴ ἐξηγήσεων ἀπὸ διαφόρων, Ἀθανασίου, Κυρίλλου, Βασιλείου, Χρυσοστόμου, Θεοδορήτου, Γρηγορίου τοῦ Νύσσης, Ἰσιδώρου, Εὐσεβίου, καὶ τῶν ἄλλων, εἰς τὸν βίβλον τῶν ψαλμῶν, συλλεγεῖσα παρὰ τοῦ ἱερωτάτου μητροπολίτου Ἡρακλείας Νικήτα τοῦ Σερρῶν: *Item Pandecta*, *continens ſumma argumenta Canonum Apoſtolicorum*, *ſeptem Synodorum generalium*, *& provincialium*, *& Epiſtolarum Synodicarum*. *Acta* vero *ſextae & ſeptimae Synodi* perfecta. Quin addita eſt ἐξήγησις τῶν θείων κανόνων τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, καὶ τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ τοπικῶν, πονηθεῖσα τῷ μοναχῷ τῷ Ζωναρῇ. Sed quamquam *Felbavius*, ut vidimus, XL. Graecorum Templa, & Sacella Conſtantinopoli enumerat; tamen *Chriſtophorus Arnoldi*, Profeſſor, & Eccleſiaſtes Norimbergenſis, in ſuis ad *Henr. Hilarium* litteris anno 1671. datis ſequentia tantum recenſet, ab Hieromonacho *Daniele Caſtriſio* ſibi dictata.

I. Templum SS. Petri, & Pauli in Patriarcheio.
II. S. Andreae.
III. Templum in Patriarcheio Patriarchae Ieroſolymitani; quod eius hoſpitium eſt, ſi quando Conſtantinopolin venerit.
IV. Templum Coſmae, & Damiani.
V. Sophiae novae; quod perexiguum atque peranguſtum eſt.
VI. Conſtantini, & Helenae.
VII. Ioannis Baptiſtae.
VIII. Nativitatis Domini.
IX. Sanctae Anaſtaſiae.
X. Sancti Antonii Abbatis.

XI.

XI. Sancti Euthymii.

XII. Trium Sanctorum, Gregorii, Chryſoſtomi, & Baſilii.

XIII. S. Gregorii; quod Perae ſeu Galatae eſt.

XIV. Beatae Virginis χρυσοπήγης. Quod Templum itidem extra Conſtantinopolin, in oppido nempe Galata ſeu Pera eſt.

Atque ita 14. Paroecias habebant Graeci; duodecim quidem in ipſa urbe Conſtantinopoli, & duas Perae. Lubet etiam ſubdere, quae de numero Templorum Conſtantinopolitanorum ſcribit *Conradus Iacobus Hildebrandus* Pomeranus, qui anno 1656. cum Legato Sueco Conſtantinopolin profectus erat, in Epiſtola anno 1663. Balini Pomeranorum ad memoratum *Henricum Hilarium* ſcripta. Eius verba ſunt quae ſequuntur: *Numerum templorum porro quod ſpectat, nihil quidem certi de eo mihi conſtat. Scribit tamen Frolichius:* Conſtantinopolis continet Templa 5779. e quibus 442. Chriſtianis conceſſa ſunt. *Num vero tot numero ſint, pro certo adfirmare non audeo; multa tamen Stampoldae eſſe, audacter adfirmo. Hoc autem eſt tam certum, quam quod certiſſimum, quod plura ſint, quam viginti. Quippe in omnibus ferme angulis Graeci habent fana, ut exiſtimes potius ibidem haras, quam aras eſſe.* At hiſce non obſtantibus *Croiſius Cap. VII.* tradit XX. tantum Eccleſias Graecorum exſtare hodie Conſtantinopoli, quae omnes una cum iis quae Galatae exſtant, Paroeciae ſunt: & exſtare inſuper Sacella quinque, unum *S. Georgii* ad Palatium Patriarchae Ieroſolymitani; aliud *S. Ioannis* apud Patriarcham Alexandrinum; aliud *Deiparae Palaeologae*; duo reliqua in aedibus Principum Valachiae, & Moldaviae; id quod *Chytraeus in Oratione* confir-

firmat. Graeci igitur Conſtantinopolitani diſtributi ſunt in certas Eccleſias, quas die Dominico, feſtiſque diebus, ſinguli ſuam, frequentare iubentur. Numerus ſingularum forte trecentarum aut plurium perſonarum eſt. In Feſtis autem ſolemnibus, die Nativitatis Chriſti, Reſurrectionis, Pentecoſtes, Adſumtionis Mariae (quod ipſis ex praecipuis eſt) frequentes in Patriarchatu aliiſque primariis Templis conveniunt. Singulis quoque Quadrageſimae Dominicis, quando Patriarcha nunc in hac, nunc in illa, Eccleſia Miſsas celebrans eleemoſynam colligit, cum magna frequentia ex pluribus templis adſunt, & quiſque pro facultate eleemoſynam dat; quidam duos vel tres ducatos; 10. 20. 30. aſpros: pauperiores nihil. Vel quando alicuius Sancti memoria agitur, frequentiſſimi ad Templum, quod nomini eius dicatum eſt, conveniunt; ibique Miſsa magna ſolemnitate celebratur. Conciones omnino ipſis habere licet. Vnus ex Calogeris in Quadrageſimae Dominicis iis in templis, in quibus Patriarcha Miſſam celebrat, concionatur. Haec quidem ex *Gerlachio* deduximus, qui inſuper tradit feminas Graecas in templis aulas ſeparatas habere, quibus cancelli obiiciuntur, ne a viris conſpici poſſint. Campanarum uſum in Templis Graeci non habent, & quod ſerius illum, ut *Goarius* obſervat, admiſerint; & quod Turcae campanis ſonare iis non permittant. Audiamus de hiſce *Leon. Allatium* ita loquentem: *Direpto Imperii capite Byzantio, ditioneque reliqua Graecorum a Turcis occupata, campanarum uſus in urbibus, in quibus ipſi degunt, intermiſſus eſt: ne per aerem palantes animos timor incuſſus, quiete, qua fruuntur, exſpoliet. Ita fanatici illi homines, ex ethni-*

co-

rum gentiliumque nugamentis de animabus philoſophantur. Quare Sacerdotes Graeci ligneo inſtrumento ad Graecos in Eccleſiam convocandos utuntur, id eſt, lignum binarum decempedarum longitudine, duorum digitorum craſſitudine, latitudine quatuor, quam optime dedolatum, non fiſſum, aut rimoſum, quod manu ſiniſtra medium tenens Sacerdos, vel alius; dextra malleo ex eodem ligno, curſim hinc inde tranſcurrens modo in unam partem, modo in alteram prope vel eminus ab ipſa ſiniſtra ita lignum diverberat, ut ictum nunc plenum, nunc gravem, nunc acutum, nunc crebrum, nunc extenſum edens, perfecta Muſices ſcientia quam ſuaviſſime moduletur. Et hoc σημαντήριον nuncupatur magiſque proprio nomine χειροσήμαντρον, quod manibus teneatur, iiſque pulſetur, ad differentiam alterius magni, quod μέγα σήμαντρον dicitur, ex eodem ligno, & in turribus ſive campanariis, catenis ferreis ſuis extremitatibus adpenditur. Illud eſt inſigni magnitudine ut quandoque ſex palmos latitudo, unum craſſitudo, triginta longitudo exaquet, malleoque pro magnitudine ſementarii pulſetur. Et alibi: *In fornice templi ex una parte eſt ferrum adpenſum extenſum in laminas, ego dixerim chartam ferream, & malleus item ferreus. Eo λαοσυνάκτης, populi convocator, verberat laminam, ut, quibus id onus incumbit, templum petant, munuſque in divinis laudibus obeant ſuum. Et Monachi quidem tribus ſignis; Dei turba autem in civitatibus, uno tantum ſigno, eoque magno, ad divinas laudes advocantur. Ex aere vel metallo campanae in Graecia rariſſimae ſunt, niſi oppidum illud, in quo Chriſtiani habitant, a Turcarum commercio quam longiſſime abſit, tunc enim campanae uſus non dene-*

ga-

gatur. Hactenus *Allatius* in ea Epiſtola, quam *de Templis Graecorum recentiorum* Ioanni Morino ſcripſit. Magnorum autem *Semznteriorum* formam apud *Tournefortium Epiſtol. III.* videre eſt aerea tabula delineatam. Tantum autem abeſt ut Turcarum Imperator non permittat Graecis, & praecipue Patriarchae, ſua ſacra peragere, quin laudatus *Hildebrandus* in praedicta Epiſtola ita ſcribit: *Maximam tamen reverentiam Turca ipſi* (hoc eſt Patriarchae) *exhibet; & ut abſque perturbationibus ſacra peragere in ſuis poſſint Templis Graeci, conceſſit adiunxitque illis Gianizaros, qui in ianua templorum, iuſſu Sultani, ſuis Zarocollis in capite ornati, frameaſque in manibus tenentes, petulantes ac tumultuantes coercent Muſulmanos: qui etiam extra ſacra Patriarchae a latere ſunt, in platea quoque ambulanti, clericis ad minimum viginti ſtipato, ut extemplo, ſicubi opus eſt, ſuccurrere valeant*. Id quod & *Stephan. Gerlachius* confirmat. De Templis Graecorum, & eorum forma egregias duas Epiſtolas elucubravit eruditiſſimus *Leo Allatius*, quarum unam ſtatim laudavimus; altera eſt ad *Caſparem de Simeonibus* de Narthece Eccleſiae veteris: nos tamen brevitati ſtudentes non nulla de iis ex laudato ſaepius *Croiſio* obiter attingemus. Graeci igitur Eccleſias Conſtantinopoli, & in aliis Othomanici Imperii urbibus habent, neque ſplendidas neque magnificas, quum Turcae pulcriores amplioreſque in ſuae ſuperſtitionis Templa converterint. Earum vero quae Conſtantinopoli Graecis adhuc remanſere, antiquiores elegantiori ſtructura eſſe videntur, quam recentiores, quae & humiles ſunt, & lignis tantum, &

late-

lateribus conſtant ; ne forte Turcas eas in ſuos uſus transferendi, aut vectigalibus onerandi, cupido incefsat. Forma tamen recentiorum Eccleſiarum eadem eſt ac paulo vetuſtiorum, quatenus loci amplitudo patitur. Interius antem in tres partes dividuntur, quarum una *νάρθηξ* ſeu *veſtibulum*, ſeu *πρόναον* adpellatur ; alia *ναὸς* ſeu templum ; tertia denique *βῆμα* vel *Sanctuarium* indigitatur. Veſtibulum publice poenitentibus & catechumenis &c. deſtinatum erat ; nunc baptizandis infantibus, & cadaveribus profanorum, dum iuſta ſolvuntur, exponendis dedicatur. Patriarchae enim, Metropolitae, Presbyteri, & Monachi in ipſas Eccleſias efferuntur. Templum fideles excipit; cuius ulteriorem partem Miniſtri Eccleſiae, & viri honeſtiores occupant proximam ſanctuario, cathedriſque inſtructam atque circumdatam. In extrema Eccleſiae parte Sanctuarium eſt a templo picto tabulato diſtinctum ; in quod patet per tres portas ingreſſus, quarum maxima *πύλη ἁγία Porta Sancta*, quin & aliae duae, adpellantur. Intra Sanctuarii clauſtra tria altaria ſunt diverſis uſibus deſtinata; nam medium, quod unico lapide Cruce ſignato conſtat, Menſa ſacra divina myſtica dicitur, & exſtanti Cruce, libroque Evangeliorum tantum inſtruitur. In altari, quod a dextris eſt, oblationes fidelium, & materia ſacrificii, collocantur : in eo, quod a ſiniſtris, veſtes, vaſa ſacra, ornatus, deponuntur; & Diaconi, Hypodiaconi, Clericique alii minores circumſtant Sacrificulo miniſtraturi. In Eccleſiis Patriarchalibus & Metropolitanis in extremo Sanctuario iuxta Altare maximum Thronus adſurgit, in quo ſedent Patriarchae & Metropolitae dum res divina fit ; quique *ἅγιον σύνθρονον* adpel-

adpellatur, ut ab ſolita cathedra diſtinguatur, in qua inter alios Clericos, dum pſalmodia, aliaeque ceremoniae peraguntur, illi ſedent. Laicis Sanctuarium ingredi nefas, cuius portae diebus feſtis ſollennibus ter aperiuntur; bis aliis diebus, ante conſecrationem ſcilicet, & quum Sacerdos communicat. Diebus autem feſtis etiam ad Veſperas reſerantur. Quicumque pluria de recentiorum Graecorum Templis noſcere deſiderat, laudatum *Leonem Allatium* adeat; & eruditiſſimum *Iacob. Goarium* in egregiis illis commentariis ad Graecorum Euchologion; apud quos & eorum ichnographium reperiet.

(1) Quibus in locis, & ubi terrarum ſit *Heade* me ignorare profiteor. Nomen heic corruptum eſſe ſubſpicor, non ita facile reſtituendum. Hic quidem ita iacet, ut loci vel oppidi alicuius nomen eſſe videatur, praecipue quum adſpiretur. Sed forte huiuſmodi non eſt, & Latinum vocabulum *Margunius* huc licenter intruſit, nihilque forte aliud eo ſignificatur, quam quod Latini *eamdem* efferunt, ita ut ſenſus ſit: *Et quum Conſtantinopoli verſarer, & priuſquam in eamdem proficiſcerer, & poſtquam etiam in patriam reverſus ſum, &c.*

(2) *Maximi Margunii* patria Creta urbs, vulgo Candia, fuit, ut adnotatum in *Prefatione P. II. Epiſtolarum Michaelis Glycae pag.* XXVII. Quare aliquid de hac urbe inſulaque obſervare fert animus, nonnulla hinc inde excerpendo, quae noſtro propoſito conducant, apteque haereant. Creta eſt inſula & regnum Europae in mari Mediterraneo ad ingreſſum maris Aegei; Candia urbs metropolis eſt, a qua inſula univerſa nomen accepit. Patricii Veneti, & Cre-

ten-

tenſes Catholicam Religionem profitebantur ; reliqui vero incolae ritus & ceremonias Graecae Eccleſiae ſequebantur . Candia Archiepiſcopi ſedes fuit , & in praeſens adhuc eſt , qui novem habuit ſuffraganeos Epiſcopos , ut in ſuo *Lexico Hiſtorico Morerius* tradit ; id quod confirmatur a *Nilo Doxopatro* in Diatypoſi Eccleſiarum Patriarchatui Conſtantinopolitano ſubiectarum. *Thomas* vero *Smith* in ſua *de ſtatu praeſenti Graecarum Eccleſiarum Oratione* , quatuor tantum nunc ſupereſſe in Creta Epiſcopatus indicare videtur , ubi ſcribit , Metropolitam Cretenſem cum tribus ſibi ſubiectis Epiſcopis Sedem Conſtantinopolitanam agnoſcere ; quod etiam antiquitus obtinebat , ut ex *Diatypoſi Leonis Sapientis* intelligere eſt ; qui tamen duodecim fuiſſe tunc temporis Cretae Epiſcopatus aperte dicit. Ex *Tournefortio Epiſtola II.* etiam conſtat , in urbe Candia Armenios quoque unam Eccleſiam habere , & ducentorum eos numerum non excedere. Graeci autem circiter octingenti tributum ſolvunt , & mille circiter Iudaei pariter commorantur. Sunt etiam tres , aut quatuor Gallorum familiae , Proconſul , & duo Capucini , qui ſatis commodam domum iuxta mare poſſident. Eſt inſuper Candiae Monaſterium Sanctae Haecaterinae Sinaitarum , de quo ſuperius mentio facta eſt *pag.* 154. & 158. Et quidem *Thevenotius Lib. II. Cap. XXIX.* ſcribit Coenobium D. Haecaterinae Montis Sinai multa praedia in Inſula Creta olim habuiſſe. Non multum ab hac urbe Canea urbs diſtat , quae ſecundas in Creta obtinet , quaeque olim Cydonia adpellata fuiſſe creditur , Epiſcopatu inſignis. In hac pariter Monaſterium poſſident Capucini Galli , quorum ſacellum eſt rude et male ornatum cubiculum , cui duo Monachi Pro-

vin-

vinciae Pariſienſis inſerviunt, quorum alter Praeſidis nomen gerit, alter vero corpus, & communitatem repraeſentat. Mille & quingentos paſſus ab hac urbe diſtant Sancti Georgii Eccleſia, & Monaſterium Sancti Eleutherii. Dimidia vero dieta a Canea diſtat Coenobium Trinitatis, vulgo *τῆς ἀγίας τριάδας* dictum, iuxta Promontorium Melierum, olim Malecam adpellatum. Quondam centum Monachis frequens erat Coenobium; in praeſens vero quinquaginta tantum hoc habitant, licet nullum aliud eo praeſtantius & elegantius obſervare ſit, ſi Arcadiae Coenobium excipias. Vnuſquiſque Monachus tributum ſolvit ſeptem ſcutorum. Ad ingreſſum eiusdem Promontorii ſe ſe obfert Monaſterium Sancti Ioannis, quod vulgo dicitur *μοναςηρὶ τῦ ἁγίυ Ιωάννου.* Secus viam aliud Monaſterium ſitum eſt eidem cognomine. Illud autem Monaſterium Arcadiae, cuius ſtatim meminimus, corrupto autem nomine Arcadi, omnium elegantiſſimum atque locupletiſſimum eſſe perhibetur. Hoc Coenobium ad radices montis Idae ſitum eſt, eiuſque Eccleſia duabus navibus conſtat, quae picturis Gothicis ornantur. In hoc centum circiter Monachos numerare eſt, & alios ducentos in agro, quibus latifundiorum colendorum provincia demandata eſt. In pago Commeriaco procul ab urbe Monaſterium aliud pariter eſt cum Monachis; itemque aliud in ora maritima, non multo procul, quod Arſeni vocatur. In valle etiam, quae a montibus Ida, & Chentro formatur, exſtat Monaſterium Angelorum, vulgo *ἀσώματος* nuncupatum, quod a ruinis Gortynae quatuor & viginti milliaria diſtat, ut memoriae prodidit laudatus *Tournefortius* in ſui Itinerarii *Epiſtola I. & II.* Elmius.

P (3) Vi-

(3) Vidimus ſuperius *Margunium* anno antecedenti Conſtantinopoli verſatum fuiſſe; ſed tradit *Papadopolus* ſub extremos *Gregorii* XIII. annos Romam eum adveniſſe; ergo potuit poſt menſem Scirrhophorionis, hoc eſt Maio elapſo, in hanc urbem eo ipſo anno ſe conferre, in qua manſerit uſque ad Maium anni inſequentis, quum iam *Xyſtus* V. electus fuiſset, ac deinde Venetias confugerit, ubi menſe Hecatombaeone, Iunio ſcilicet, eſset; ſtatim autem Venetiis diſceſſiſse, praeter *Papadopoli* teſtimonium, evincat forte etiam Epiſtola *Gabrielis Severi* Venetiis anno MDLXXXV. menſe Iulio ſcripta ex ea vrbe ad *Margunium*, iam probabiliter in Melum inſulam profectum,

Idem Epiſcopus eidem Archiepiſcopo Philadelphiae.

TAntum abſum ab iis, quorum fruſtra non nemo me accuſat, praeſertim quum aegre feram in temporalibus inhaerere fortunae, quin potius apud me ipſum maxima voluptate perfundor, quum ſaepe praeſtare iniuriam accipere, quam inferre, didicerim, & quadam etiam in praeſens a Deo ob hoc ipſum mercede nos impertiri: de illis vero, qui ita erga me adficiuntur, quam maxime do-

lere

lere, ſiquidem amici ſunt, & qui pollicentur ſe mihi accenſere in conſenſu, & concordia. Talis mihi ad tuam pulcram epiſtolam praeparatio, Sacratiſſime Domine. In iucunditate enim tuorum ſermonum (mihi ignoſcas precor) & venenum quoddam abſcondi, nemo inficias ierit, cui vacaverit intendere in ea, quae a te ſcripta fuerunt. Nonne tanto magis inebriari non oportebat, quantum ipſe huius rei ne ullam quidem occaſionem nobis praeſtiterim, multo plures vero eas, quae ad ſinceram ſecundum Deum dilectionen te exhortabantur? Non enim adeo inſanierim, ut ita omnino diſcernendi facultate caream, ut tuorum ſermonum contumeliam intolerabilem non cognoverim. Mihi enim effari, culpam reiicere eſt. Ego enim eram, ut ex tuis litteris coniicere eſt, is qui maiorem veſtro faſtum indutus eram. Vnde vero hoc, quaeſo, qui me ipſum reputo magis vermem, ut cum Propheta loquar, & hoc unum ſcio, quod nullius rei mihi ipſi conſcius ſum, etſi peccator. Quae porro, & in quibus faſtus, quem dicis? Quum Divi Maximi teſtimonium (1) ego, tamquam ſpecioſam quamdam anſam, invenerim, utrumque genus male intelligere auguror. Vt grata tibi quaeſtio! Sed neque

 ego

(1) Vide ſuperius *pag.* 208.

ego talem umquam praecedenter occaſionem accepi, quam ipſe non omnino probe animadverteris, o mirabilis, neque in iis, quae exiſtimavisti; praecipue vero Synhodum, quae primum Symbolo *Additionem* (1) fecit; poſt illam vero huius conſequenter uſum, ad noſtri dogmatis confirmationem, attractionem vero alieni iure optimo, & ſine ullo inde praeiudicio futuro, ad noſtrum. Sed neque adfingas nobis cavillationes, utrique generi me detrahere, ſimpliciterque crimen impingere. Neque enim ego, quum & ipſe Graecus ſim, & nihil aliud antiquius habeam, quam recte ſentire, inſipiens, barbarumque noſtrum denominaverim, quod de proprio genere, qualecumque illud ſit, neque barbariſſimus dixerit; neque inſipiens utrumque iudicavi; neque ſequitur neceſſario, ne ſecundum te quidem, ex eo quod quaedam cogitationibus diſpliceant, ſtatim eos venire tamquam contumeliis adficientes, qui ne cogitant quidem ea, in quibus tu arbitraris eſſe contumeliam. Etenim habet aliquis cuius illum accuſet, eoſque, qui ad mentem reſpexerunt illorum, qui primum cauſae fuerunt *Additionis*; ſiquidem neceſſitatem ignoravit. Habet vero & in quibus illum lau-

(1) Vide ſuperius *pag.* 206. 208.

laudet tamquam qui invehatur in poſteriorem cogitationis inſertionem. In hoc vero congruenter & valde neceſſario mutationem conqueretur. Videlicet eos, qui ita adficiuntur, ipſe quidem dicis neſcire quomodo voces; ego vero pro te, excogitabo nomen per circumloquutionem: regiam viam hos dixeris ambulantes, & ad neutram partem cum adfectu ſe ſe habentes, & qui non ad ſe ipſos tantum reſpicere didicerint; ſed inniti dogmatis pio ſundamento, adtrahentes alios iure optimo quantum in ipſis eſt, quum ad hoc ipſum nati ſint, & ipſam veritatem quam maxime retinentes. Tibi utique videar recte coniectaſſe aenigmaticam tuam epiſtolam, vel procul forſan a ſcopo eſſe iaculatus. Quantum vero ad Maximi ſententiam adtinet, ego quidem hoc ex illa colligere ſolum conatus ſum in praecedentibus, hoc eſt, eſſe praedicatum uſque ad ipſum, & ulterius etiam, & *Additionem* & *Romam*, ſi Maximum novi *Additionem* bene recteque interpretari; & concinere quam maxime noſtro dogmati. Quoad eos vero, qui ex Oriente tunc temporis dilexerunt de cetero ſolitariam vitam agere (r) uſque ad everſio-

(r) H'συχάζω verbo peculiari intellectu ad vitam

ſionem, quae in hoc inruit, adgreſſio tua haud quaquam fortis eſt, ut me inde dicere hoc, *eſſe etiam ex Filio*, ſimpliciter exiſtimes; quod quidem per ipſam pietatem, neque umquam mihi in mentem venit. Sed haec quidem a nobis, ut dogma de-

tam Monaſticam ſignificandam uſi ſunt Scriptores Eccleſiaſtici. *ἡσυχάζω* ſiquidem *quieſco*, *in otio vivo*, deſignat. Hinc *ἡσυχάζων* notat *ἀναχωρητὴν*, quod ex *Epiſtola Photii XX. pag. LXXXI.* liquet, quam inſcribit *Ἀθανασίῳ μοναχῷ ἡσυχάζοντι*, *Athanaſio Monacho Anachoretae*. Hinc Anachoreta vocatur *ἡσυχαστὴς* prout *Balſamon* in *Conſtitut. Eccleſ. Collect. Lib. III. ex Novellis tit. XIII. pag.* 1333. obſervat, ubi ait: *χρὴ τοὺς μοναχοὺς ἐν κοινοβίῳ διαιτᾶσθαι χωρὶς τῶν ἀναχωρητῶν, καὶ ἡσυχαστῶν*. *Debent in coenobio monachi degere, iis exceptis, qui a ſeceſſu & quiete vocantur Anachoretae, & Heſychaſtae.* Et *ἡσυχαστήριον* locus eſt, in quo degunt *ἡσυχασταὶ*, de quibus videatur etiam *Iuſtiniani Novella V.* Huiuſmodi vero homines ii ſunt, qui Monaſterii oneribus impares, extra Monaſteria cellam, cui templum vinea & campus adnexa ſint, conlata pecunia, accipiunt, & ibi cum nonnullis ſociis vivunt. Feſtis diebus ad Monaſterium procedunt, & officiis adſiſtunt, quibus peractis ad cellam revertuntur. Alii etiam perfectioris & ſtrictioris vitae gratia, in cellulas in locis deſertis, & aſperis in montibus excavatas, ita Hegumeno adnuente, ſe recipiunt, & orationibus, & meditationi dediti, de rebus nullis ſolliciti vitam degunt; id quod etiam bre-

defendentibus, iterum dicta ſunto. Ipſe vero, o beate, iuſte feceris ignoſcens nobis, audacter iterum ad ſcribendum excitatis. Ne igitur per ipſam pietatem, adiungas materiam tentationi, ſed revertere iterum ad priorem ſinceram dilectionem, & conſidera bene apud te ipſum qualis ex quali evaſeris erga me, & qualiter te circa me adfectum eſſe ſit neceſſarium; ad quod ipſe fuerim gradus. Praetereo vero qualiter eſſe utrique conveniat erga alios. Et ſcias quidem minime dubie me habere; ita bene mea proceſſura ſunt, ſi licet tamdem, circa dogma. In univerſum vero zelo divino, & aliorum fratrum petitionis ſpe propter veritatem ipſam inflammatus ſum ad hoc adgrediendum. Si vero tibi gratum eſt ſcriptum cōſequi, & hoc nobis iucundum ſi tibi volenti miniſtraverimus. Incolumis mihi vivas, & te amantem redama. Venetiis Hecatombaeonis ſeptima decima, anno ab incarnatione Servatoris noſtri MDLXXXV.

breviter indicatum fuit ſuperius *pag.* 152. & latius videre eſt apud *Chriſtophorum Angelum* in *Enchiridio cap.* XXXI. *Elmius*.

Gabriel Archiepiſcopus Philadelphiae Dei amantiſſimo Epiſcopo Cytherorum.

LVbenter quidem frater, Domine Maxime, tuam accepimus epiſtolam, ex qua intentionem libri, (1) qui a te elucubratus fuit, confuſe intelleximus. Si vero & in hunc incidiſſemus, facilis fortaſſe nobis erat etiam ipſius actio, & finis. Sed Divi Maximi ad Marinum epiſtola, (2) nihil magis eſt pro Romana Eccleſia, vel pro illa *Additione*, quae in Symbolo eſt. Si vero hanc auxiliarem adſumant ad antiquum illud, videlicet *ex filio eſſe*, perſpicuum faciendum, nulla nobis de hoc cura eſt. Scimus enim & quomodo Sanctus ille cum illis conſentiat, & qualem in iis, quae ibi ſunt, claram intelligentiam adferat; quam quum aliqui illorum, qui faſtu immodico tumidi ſunt, tamquam importunam anſam invenerint, in altero male intelligere ſomniant. Illud quidem denominare *vile & barbarum*, utpote quod non recipiat *Additionem*, quae apud ipſos bene adſuta fuerit; & illud *deſipiens*, & *non bene intelligere hanc*, & *emit-*

(1) De hoc libro vide ſuperius *pag.* 170.

(2) De hac Epiſtola conſule ſuperius *pag.* 208. 219.

emittere non ceſſantes venena (1) ipſe per Veritatem neſcio quomodo utique vocaverim. Etenim, ea quae ſunt in extremis & terminis, neque in iis, quae participatione concreſcunt, ipſe habeo invenire. Sed haec tempori congruo relinquantur, & illorum ſcrutatio in futurum ſervetur, non enim de aereo lebete (2) & argenteo certamen, ſed de ipſa veritate, & non adulterina pietate. Igitur neceſſarium eſt, nos quiete & ſine haeſitatione noſtris inhaerere, & concedere ipſis (3); *donec & aqua fluit & luna fulgida, ſolque oriens ſplendet*, ſecun-

(1) Haec dicit *Gabriel Severus* reſpiciens ad ea, de quibus in Epiſtola *Margunii* antecedenti.

(2) Adludit *Severus* ad praemia Athletarum apud veteres Graecos, de quibus conſulatur *Agoniſticon Petri Fabri*.

(3) Quum *Margunius* omnibus reliquis Graecis quammaxime repugnaret, ſua praefracte defendens, eum hortatur *Severus*, ut iis reſiſtere deſinat, quo tamdem inſaniens adverſus eum procella quieſcat. Etſi enim *Margunius* non omnino a ſententia Eccleſiae Graecae hodiernae recederet, ut ex iis, quae ſuperius *pag.* 210. habentur, liquido conſtat, tamen quum eam ſaltem lenire vellet, & talem reddere, quae vel Latinis ipſis iam diſplicitura non eſſet, ut ſibi ille blandiebatur; horridam adeo contra ſe tempeſtatem excitavit, ut tamdem & ipſe cognoverit, periculoſum eſſe

cundum Poetam. (r) Tua vero Sanctitas contenta ſit paucis & brevibus iſtis verbis, dictionem certe inelegantem, mentem vero

eſſe contemtis populi deſipientis erroribus & contra ſtare audere, & veritati quomodocumque velificare. Innumeris prope exemplis id luculentiſſime demonſtrare poſſem, & ipſe popularem ignorantiae atque impoſturae favorem, & ſolidae doctrinae ac veritatis odium atque contemtum, experientia ipſa probe cognoſcens; at mihi unicum, ſed inſigne, & recentiſſimum, immo adhuc in ſuo curſu proficiens, exſultanſque, ſuffecerit, quod mihi ſuppeditat Vir probitate praecellens, & egregia doctrina conſpicuus, Reverendiſſimus Piſcienſis Epiſcopus D. *Franc. Caiet. Incontrius*, qui an a dignitate ſublimi nomen & ſplendorem accipiat, vel ipſe ampliſſimo muneri honorem & claritudinem conferat, facile diiudicare non fuerit. Is enim quum arduum & ſalebroſum verae virtutis iter ingrediatur, & prudentia, quam in cultoribus ſuis Deus requirit, adprime praeditus ſit, non fucatam pietatem adfectat, nec inanem ridiculamque ſuperſtitionem temere atque inconſulte perſequitur; ſed quod Evangelium docet, non quod ſtolidi vulgi credulitas ſubſpicit; quod Concilia, ſanctique Patris edicunt, non quod communis popularium error atque ignorantia proclamat; quod ſapientia ipſa, ac gravis maturaque prudentia, ſuggerit, non quod anilia ſomnia ac deliramenta popello attonito venditant, ſolerter inquirit, conſtanter tenet, intrepide tuetur ac vindicat. Hinc turbae a maleferiatis ho-

vero ſinceram ferentibus, ut ille dicebat. MDLXXXV. Iulio, Venetiis (2). Vale & nobis veniam concede, qui non ulterius progredi poſſumus; prohibemur enim quo-

hominibus adverſus eum excitatae; hinc maledicta in eum coniecta; hinc minus pius, qui ſi aliter ſe haberet, ferme impius iure merito videretur. Num turba inſaniens, & indocta plebes, & garrula ineptaque multitudo, melius res divinas calluerit, quam is Antiſtes doctiſſimus, qui praeſenti uſque Sancti Spiritus gratia movetur, & regitur?

(1) Hoc eſt *Homerum*. Vide *Iuſtinianum Lib. I. Inſtit. Tit. II.*

(2) Venetiis eſt Eccleſia Graecorum *D. Georgio* ſacra, cui Monachi Graeci inſerviunt, de qua ſupra *pag.* 112. & infra *pag.* 242. His praeſidet ſemper Archiepiſcopus Philadelphiae, qui Venetiis commoratur; quare non mirum ſi *Gabriel Severus* in ea urbe permanebat, quod & ſuperius *pag.* 175. indicatum fuit. Saeculo ſuperiori Archiepiſcopus Philadelphiae Venetiis *Meletius Typaldus* ex Cephalenia, vir adprime orthodoxus & doctus, erat, cuius Bibliothecae MS. Catalogum exhibet *Montfauconius* in *Biblioth. Bibliothec. MSS.* & quem ait *Demetrius Procopius*, Graecam Latinam & Italicam linguam calluiſſe, & claruiſſe arte Rhetorica ob naturalem, quae in eo erat, eloquentiam, & dicendi ſuavitatem. Sed & *Geraſimus Blachus* Archiepiſcopus Philadelphiae fuit, & Venetiis morabatur eodem ſaeculo, & inſtructam Bibliothecam poſſidebat, de quo vide *Ephemerides litterarias Florentinas anni* 1740. *pag.* 300.

quotidianis curis, & adſiduis ſolicitudinibus, quas tuam Reverentiam didiciſſe arbitror.

Diſponi dupliciter & ſecundum accidens, & ſecundum ſubſtantiam; & ſecundum accidens ab alio, ſecundum ſubſtantiam, ut . . . . & ipſi de medio tollentes. (1)

(1) Videtur heic adludi ad ea, quae ſuperius *pag.* 210. ex *Petavio* adnotata fuere.

Sacratiſſimo Archiepiſcopo Philadelphiae, & in Chriſto longe Reverendiſſimo Patri Domino Gabrieli Severo Maximus Epiſcopus Cytherorum, bene agere.

ACcepi lubentiſſime tuam admonitionem, (1) Sacratiſſime Domine, tamquam ex benevolenti, & quam maxime paterno animo prodeuntem; & niſi aliud te in iis, quae fratrem adtinent, inclinaviſſet, nihil curans per ſacram tuam animam ad res ipſas ultro transfugiſſem. Quid-

(1) Hoc eſt, Epiſtolam praecedentem, ut videtur.

Quidni? quum non indignum putaverim ligari pro hoc ſive heic, ſive Venetiis (1) & ideo prope illorum, quae ad ſalutem etiam ſpectant, aliquo periclitari. Sed in quo & ipſe mihi adſtipulatus eſt, prorſus timui. Non enim in tuto ipſi eius propoſitum conſtitutum eſt; & ne quid eorum, quae abominanda ſunt, eveniret, retinere virum animum induxi, qui heic & illic omnigenis ſpirituum impetibus adliditur. Verumtamen & ita tuis mandatis obtemperabo; & ea quae ad hunc pertinent ſub te iudice gubernabuntur, ne praeiudicium aliquod hoc pauperiores & indigentiores, ſi humanius quam par eſt de hoc cenſuerimus, conſequatur. Aeque enim abſurdum eſt ſummae in quibus non oportet humanitati indulgere, & in quibus oportet, non bene obdureſcere. Incolumis vivas mihi, Sanctiſſime Domine, & anima & corpore. Ex venerando Monaſterio Praecurſoris (2) Pyanepſionis undecima anno MDLXXXVI.

Sa-

(1) Heic videtur reſpicere ad pericula, quae Roma fugiens, & Venetiis etiam moratus ſubivit, de quibus nos aliqua diximus in *Praefatione ad Part. II. Epiſtolarum Glycae*

(2) Quum *Margunius* Venetiis ſe fuga abripuiſſet in *Melum* Inſulam contendit, ut ibi moraretur donec

nec eius barba ſubcreſcens promitteretur, quod tradit *Papadopolus Part. II. Hiſtoriae Gymnaſii Patavini Lib. II. Cap. XXXVIII. num. CLXXII.* Quare videtur hanc Epiſtolam ex hac Inſula ſcripſiſſe, quod non tempus tantum, ſed etiam locus unde ſcripſiſſe ſe dicit, fortaſſe indicaverit. Quum enim ſcribat *ex Venerando Monaſterio Praecurſoris*, exploratae fidei eſt in Inſula *Melo* aedem Divo Ioanni Baptiſtae ſacram eſſe, quae vocatur *ἅγιος ἰωάννης πρόδρομος*, ut apud *Tournefortium Tom. I. Epiſt. IV.* videre eſt. Quum autem in huius Inſulae, & eius ſacrarum aedium, mentionem inciderimus, lubet heic Inſulam hanc paullo diligentius deſcribere. Tradit igitur laudatus *Tournefortius*, Inſulam ad ingreſſum maris Aegei ſitam eſſe, & magni momenti fuiſſe dum Graeciae vigeret imperium; ſed in bello Peloponneſiaco, aliiſque, quibus vexata Inſula fuit, ut etiam ſcribit *Thucydides*, libertatem ab ea amiſſam fuiſſe, & urbis elegantem ſtructuram. In ipſo urbis ingreſſu Capucinorum Gallorum Monaſterium eſt, quod licet non multis ab hinc annis a Turcis dirutum fuiſſet, quod in hoc piratarum furta rapinaſque cuſtodiri expoſtularent; attamen Regis, & Gallorum Mercatorum, eorumdemque piratarum opera, aere conlato, elegantiori forma Eccleſia, & Coenobium, excitatum eſt iterum. In hoc Monaſterio duo ſunt Monachi, quorum alter incolis Graeca lingua, alter Latina, inſtituendis incumbunt. Melum Graeci tantum incolunt, praeter Iudicem qui Turca eſt. Voevoda ut plurimum Graecus eſt. Huic Eccleſiae duo praeſunt Epiſcopi quorum alter Graecus eſt, alter Latinus. Latini Epiſcopi totus Clerus unus eſt Presbyter, quamvis Argentariae etiam, & Siphanto Inſulis praeſideat, in quas

Vica-

Vicarios mittit. Anno MDCC. quum ſedes vacaret Pontifex Vicarium tantum Apoſtolicum miſſurus putabatur, quia huius Eccleſiae reditus centum quinquaginta argenteorum, ſive ſcutorum, ſummam non excedunt. Alias quingentorum ſcutorum erant, ſed quum Sultanus poſt Cretenſe bellum titulos Inſulae recognoſci, & iura poſſeſſorum examinari, iuſſiſſet, Epiſcopus Latinus Meli, qui ſub Venetis devaſtatam obtinebat Inſulam, ſine titulo eſſe deprehenſus eſt; ita ut qui ultimus praeſedit Epiſcopus, ubi naturae conceſſit, pauper & ſine ullis facultatibus inventus fuerit, calicem, mitram, aliaque Eccleſiaſtica ornamenta, dum viveret, oppignerari coactus; & ad extremam miſeriam redactus fuiſſet, niſi Rex Galliarum munifica eum quotannis largitione iuviſſet. Epiſcopalis Eccleſia titulo Sanctorum Coſmae & Damiani inſignitur. Haec olim Sacellum Graecorum erat, quod deinde Latinis venditum fuit. Epiſcopi domus e regione eſt. Alter Epiſcopus Graecus dives eſt: quem non vidit *Tournefortius*, eo quod tunc temporis Conſtantinopoli degeret, ut a Patriarcha, qui alium huius Eccleſiae antiſtitem elegerat, confirmaretur. Praecipua *Meli* Eccleſia eſt Deiparae ad Portum, *Παναγία Πορτιανή*. Aliae ſunt quae ſequuntur. Sancti Nigrimantini ſolitarii Montis Synai, qui Graecis Καραλῶβος adpellatur, utpote qui ad lepram ſanandam invocatur: nam Καρὰ *nigrum λῶβος lepram* ſignificat.

Sancti Georgii Magni Ἅγιος Γεωργίος μεγάλος.

Sancti Georgii Eremitae Αγίος Γεωργίος μονοναστιότης.

Adnuntiatae iuxta Plateam Ευαγγερίστρα.

Sancti Antonii iuxta Caſtellum Ἀγίος Αντωνίος.

Sancti Demetrii ibidem Αγίος Δημήτριος.

San-

Sanċti Michaelis Archangeli Ἁγίος Ταξιάρχης.
Sanċti Ioannis Baptiſtae Ἁγίος Ιωάννης πρόδρομος.
Sanċti Nicolai Magni Ἁγίος Νικολάος μεγάλος.
Sanċti Nicolai Parvi Ἁγίος Νικολάος μικρός.
Sanċti Spiritus Ἁγίον Πνεῦμα.
Sanċti Athanaſii Ἁγίος Αθανάσιος
Sanċti Spiridionis Ἁγίος Σπιρίδων.
Deiparae Παναγία Κυρία
Quadraginta Sanċtorum Ἁγίοι Σαράντα.
Sanċti Polycarpi Ἁγίος Πολύκαρπος.
Sanċti Eleutherii Ἁγίος Ελεύθερος

Hae Eccleſiae ſunt totidem Paroeciae, & Papam ſuum quaelibet habent. Poſt Epiſcopum Oeconomi eſt prima in Clero dignitas, & Antiſtitis incedentis a dextris ambulat, & eſt tamquam eius Miniſter, ſeu Vicarius. Quaeſtor ambulat a ſiniſtris, poneque Chartophylax ſubſequitur. De omnibus his dignitatibus Graecus Epiſcopus libere diſponit. Ceterum reliquus Clerus triginta Presbyteris conſtat, qui omnes huic Epiſcopo ſubiacent. Praeter Sacella, quorum ingens eſt numerus in hac Inſula, tresdecim Monaſteria numerantur, ſcilicet:

Deiparae ad Caſtellum Παναγία Καστριανή duo milliaria extra urbem ſitum ad Orientem.

Sanċtae Helenae, unum milliare extra urbem ad Septemtrionem. Ἁγία Ελένη.

Deiparae Veli ſupra collem ad Orientem ſitum duo circiter extra urbem miliaria. Παναγία Αρμένη.

Sanċti Michaelis Archangeli, quod dependet a Coenobio eiusdem nominis, quod eſt in Inſula Syrphi. Αγίος Ταξιάρχης.

Monaſterium Chriſti, quod ſubditum eſt Coenobio Sanċti Ioannis Patmi. Ο χριστός.

San-

Sanctae Sabae, quod ſpectat ad Patriarcham Ieroſolymitanum. Αγία Σάβα.

Sancti Ioannis de Ferro, quod ſupra montem Sancti Heliae ſitum eſt. Αγίος Σιδέρο Ιωάννης.

Deiparae de Monte, ad Orientem quatuor milliaria ab urbe diſtans, Παναγία Βουνέδο.

Deiparae Admirabilis ſimiliter quatuor milliaria diſtans. Παναγία Θεοφανή.

Deiparae ab Horto. Παναγία Κήπο.

Sancti Heliae iuxta caſtrum ſupra collem magno Sancti Heliae monti obpoſitum, in cuius culmine ſolitudinem unus tantum Calogerus inhabitat. Αγίος Ηλίας.

Sancti Georgii Calvi, ſupra collem iuxta Sanctum Heliam in portus conſpectu. Αγίος Γεωργίος Καπούλης.

Sanctae Marinae; quod Coenobium dependet a Coenobio Sancti Heliae. Αγία Μαρίνη. *Elmius.*

Sapienti Viro, & in primis obſervando
Domino Domino Hadriano Spirae
Maximus Margunius humilis
Epiſcopus Cytherorum,
ſalutem a Deo.

QVomodo arbitraris, tumultuoſa, & quam maxime iniucunda mihi ea, quae ſunt heic, o admirande, & tanto magis quanto magis ab iis, quae iam promiſſa fuerunt,

runt, omnino ſunt aliena. Quid vero utique patiar, ubi peccatorum ſarcina etiam haec ſecum traxit, utpote qui neque ea, quae praeceſſere, dilexi. Quomodo enim per Iovem amicabilem Monachorum, qui hec ſunt (1) converſationibus uti, multum quidem ad irridendum proclivitatis, plus vero ad voluptates illecebrae, & non minus tumultus, habentibus? Ma-

(1) Monachi, quorum heic *Margunius* meminit, quorumque conſuetudinem perſtringit, Monachi Graeci ſunt, qui in Monaſterio Sancti Georgii Venetiis habitant. De hoc Monaſterio, & Eccleſia ita *Petrus Antonius Pacificus in Chronico Veneto*, ſeu *Breviario rerum obſervatione digniorum, quae Venetiis exſtant*, ſcribit: *In Rivo Sancti Laurentii elegantem, & praeclaram Eccleſiam Sancti Georgii a Graecis excitatam ſubſpicere eſt; qui quum in hunc tutum portum ex Creta aliiſque locis & provinciis ſuis concurriſſent, locum hunc a Senatus clementia obtinuerunt, poſtquam dereliquiſſent Sancti Blaſii Eccleſiam, ut heic iuxta ſuos antiquos ritus Deum colerent. Hoc in loco magnificum Templum elegantiſſima ſtructura condidere, pulcerrimo proſpectu, totum ex Iſtriae lapidibus coagmentatum, univerſae Grecae nationis hominibus ſymbolam conferentibus. In hoc ſtatis temporibus conveniunt, ut ſacra faciant. Hos Reſpublica fovet, & protegit, gentem rebus praeclare geſtis, anteactis temporibus & praeſentibus, de Senatu benemeritam. Natio eligit Sacer-*

Malum autem peius, quod patria mihi, quatenus conie&are eſt, de reliquo praecluſa eſt. Ego igitur & ita animum non deſpondeo, & quomodocumque me conſolor. Quid enim noſti in me, inquam, infelix, ſi & haec ad maiorem utilitatem deſtinata ſunt? Eſto enim, deſperetur a te dile&iſſima patria; ſed non aeque ea, quae ad tuam ſalutem, quod maius eſt & optabilius, conducunt. Licebit enim tibi pro arbitratu ire viam ad *Montem Sanctum* (1) ducentem, & amicam quietem requirere, & in-

cerdotes quatuor ad huius Eccleſiae miniſterium, quorum ſinguli hebdomade ſibi contingenti ſuas vices obeunt. Praeeſt iis Archiepiſcopus Philadelphiae, qui a Senatu ad hanc dignitatem promovetur. In hac Eccleſia multae Sanctorum Reliquiae, & divi Stephani in primis, adſervantur. Hactenus ille. Vide etiam quae ſuperius adnotata fuerunt *pag.* 235. *Elmius.*

(1) Quum *Margunius* noſter ſapienti & honorato Viro *Hadriano Spirae*, cuius familiae per eadem tempora *Andream* etiam quemdam reperio, patria, ut videtur, extorri ſcribat, eum conſolari non omittit, & ſui comparatione, qui procul a patria exſulare compulſus eſt, iam ante annum 1584, ut ſuperius *pag.* 170. a nobis fuit animadverſum; & inter alia, quod ei liberum ſit, in *Sanctum Montem*, hoc eſt, *Atho*, ſecedere, & ibi tranquilla quiete fruenti philoſophicam vitam inſti-

inſtituere. Quare iam opportunum mihi videtur nonnulla de tam celeberrimo apud Graecos Monte diſſerere, &, quae magis in rem noſtram faciunt, exponere. *Athos* Mons, quem ἅγιον ὄρος *Sanctum Montem* per antonomaſiam Graeci adpellant (tanta ab eis ob Monachorum ſanctitatem, ut putant, veneratione colitur) in Chalcidice Macedoniae provincia ſupra ſinum Singiticum adſurgit. *Eius ambitus*, inquit *Ricautus*, *eſt quinquaginta quatuor leucarum Gallicarum. Eius vertex, quem proprie incolae ἄθωνα Athona vocant, iniquus eſt, praeruptus, & horridus, non ſecus ac Caucaſus. Sed paulo inferius hic mons arboribus, & fruticetis, ſilviſque obſitus eſt: & ad radices plantae virent, quarum admiranda virtus eſt. Tot fontibus riviſque irrigatur, ut inferiores eius plagae foecundiſſimae reddi poſſint. In eius angulis etiam minimis cellulae vel arte, vel natura formatae ſeſe obferunt, quarum ſolitudo adeo grata eſt, ut hic mons ad Monachorum habitationem, & Eremitarum ſeceſſum, creatus fuiſſe videatur.* Et quidem totus hodie habitatur VI. millibus Monachorum Graecorum, qui Monaſteria XXIV. tenent contra piratas bene clauſa & munita, ſi *Ioann. Bunoni* in *Scholiis ad Phil. Cluverii Geograph. Introduct.* fides habetur; nam *Petrus Bellonius XXI.* tantum recenſet. Quin *Croiſius* ſuo *De Statu praeſenti Eccleſiae Graecae* libello *Cap. XXX.* quum horum Monachorum numerum innumerum olim fuiſſe ſcripſiſſet, XX. tantum Coenobia nunc in Monte Atho ſupereſſe adfirmat, in quorum nonnullis uſque ad trecentos Monachos habitent: id quod a *Ricauto* confirmatur; qui tamen fere cum *Bunone* conſentit quoad Monachorum numerum; quamquam *Ricautus* ſubdit ex VI. millibus

duo

duo millia a Coenobiis ſemper abeſſe per Graeciam ad ſtipem corrogandam diſperſos. *Cruſius* tamen in *Turco-Graecia* quater mille eos eſſe ait; & *Ioannes Comnenus*, qui illuc ſub exitum ſaeculi XVII. profectus eſt, chiliades tantum, ſeu millia Monachorum ibidem ſe reperiſſe teſtatur. Hi Monachi tam pie, & regularum ſervantiſſimi vivunt, & tanti in Eccleſia Graeca fiunt, ut qui ad primarias dignitates adſpirant, ex Oriente univerſo, & ex ipſa Moſcovia, huc conveniant, ſacrum tyrocinium in his Coenobiis peracturi, in quibus plures annos exigunt, ut Chriſtianae Religionis myſteriis, & vitae Monaſticae inſtitutis probe erudiantur, & deinde ad patrias ſedes redeant, ubi tamquam Apoſtoli excipiuntur. Quin eo frequentes ex variis Orientis partibus accedunt Graeci, qui ſtatis anni temporibus Monaſteria ſingula percurrunt, Eccleſias, reliquias, cellulaſque adeunt venerabundi, ſi *Montfauconio* fides. Pigritia, & otium, loci adeo ſancti acceſſum pavent; & in eo cuncti operantur, horis exceptis orationi, & pſalmodiae, ſacroque deſtinatis. Sacerdotes & Diaconi, qui tamen pauci ſunt, ut *Bellonius* auctor eſt, quos dignitas ſervilium operum immunes facit, in lectionem incumbunt, aut libris Eccleſiae deſcribendis operam navant; & quum ſoli ſterilitas victum neceſſarium Monachis deneget, per Graeciam ſtipem corrogandi gratia diſcurrunt, & copioſas eleemoſynas colligunt. Sed quidquid *Croiſius*, & *Ricautus*, de horum Monachorum pietate benignius tradant; certe Scriptor Gallus *Anonymus*, qui per xx. annos in Graecia moratus Inſularum Aegei deſcriptionem per eadem tempora edidit, haec non adeo horum Monachorum ſanctitati conſentanea litteris mandavit:

 vit:

vit : *Montis Atho, quem* Sanctum Montem *adpellant, Monachi quotannis inſulas Adventus & Quadrageſimae tempore luſtrant atque percurrunt, ut Graecis ſui ritus Sacramenta adminiſtrent : Sacerdotes enim, & Parochi, id prorſus negligunt ; ſed & ſi vellent, exſequi tamen haud poſſent, quum eorum plerique vix litteras noverint. Non quod Monachi doctiores ſint, nam plures eorum vidi, qui ne formam quidem abſolutionis noverant ; ſed utpote audaciores quam ſimplices Sacerdotes eſſe ſolent, & qui in ſermonibus acrius in Pontificem, & Eccleſiam Romanam invehuntur, hac inſolentia populus demerentur, & pone ſe trahunt. Non tamen credendum eſt eos ex adeo remota provincia venire, & haec omnia agere, ſuae religionis ſervandae zelo permotos. Amplae mercedes, quas pro confeſſionibus audiendis, & pro declamationibus contra Latinos, exigunt, cauſſa potiſſima ſunt cur illo adveniant. Tam ipſi, quam Preſbyteri novam ſatisfactionis & poenae peccatoribus magnis ſibi confitentibus impcnendae rationem habent ; qua quidem eos cogunt ad unctionem inter humeros pluries & certo numero recipiendam, prius condicto, ut qualibet vice hi argenteum, illi plus aut minus, iuxta eorum peccatorum qualitatem & quantitatem, donent ; quod brevi tempore ingentem ſummam efficit.* Hactenus ille. Verum de Sacerdotum & Diaconorum occupatione *Ricautum* loquentem audiamus : *Patres, Diaconi vel Presbyteri ſuperioris ordinis ſunt. Legere omnes, & ſcribere noverunt omnes, ab Hegumeno ad minimum Diaconum ; quamvis pauci ſint qui linguam antiquam Graecam ſufficienter intelligant. Quin doctioribus ipſis haud facile eſſet de quolibet Liturgiae verbo rationem reddere, quamquam eam legere inoffenſo pede celerrime*

va-

valeant; ita ut legentes adrectae promptaeque aures vix conſequantur. Deinde ſtudium eorum potiſſimum eſt Ioannis Damaſceni Octoecho memoriter diſcere; & lectiones cuiuslibet diei proprias, officiaque Eccleſiae, & antiphonas, ac reſponſoria, perquirere; quum huiuſmodi ſtudium impeditius ſit, & uſum, ac attentionem expoſcat. Sed quantumvis docti ſint, tota eorum ſcientia hauritur ex lectione Patrum, & Conciliorum ſuae Eccleſiae, & Auctorum Eccleſiaſticorum primi poſt Conſtantinum Magnum ſaeculi. Suam tantum linguam plurimi faciunt, & omnes alias profanas exiſtimant. Philoſophia, & Mathematica, doctrinae humanae quum ſint, inutiles habentur iis, qui vitam ſpiritualem & auſteram vivunt: & quibus lectio cuiuſcumque libri vetita eſt, qui ad pietatem augendam minime conducat. Vnumquodque Coenobium in excelſa turri Bibliothecam habet; & eius praefectus σκευοφύλαξ Scevophylax adpellatur. Ceterum eorum libri nullo ordine digeſti diſpoſitique ſunt; ſed in cumulos congeſti, & pulverulenti, & cum blattis tineiſque pugnantes. Theologici ſunt fere omnes, & non quidem ex preſtantioribus; nam Galli eruditi, aliique, hoſce ſecum abſtulerunt, & melioribus Codicibus illas Bibliothecas expoliarunt. Sunt qui dicant in iis non eſſe librum, qui a doctrina ſeptimi Concilii recedat, & auctorem habeat, quem ipſi haereticum reputent. Atque ita quidem ille, cuius narratio etiam a *Ioanne Comneno* confirmatur, qui litteratiores Monachos Athonitas facit, quum *Bellonius* tradidiſſet vix unum duoſve ſingulis in Monaſteriis reperire eſſe, qui legant aut tantillum litterarum ſciant. Ceterum idem *Ioannes Comnenus*, qui ſuam *Montis Atho Deſcriptionem* anno 1701. Bucoreſti in Valachia typis excuſam edidit, haec

haec paullo aliter quam *Ricautus* de Monaſteriorum Athonitorum libris tradit : *Illic videbis innumeros Libros vetuſtos , & hactenus non editos , multiſque ignotos , omnes manuſcriptos , omni ſapientia , & ſcientia divina , & ſublimibus ſententiis refertos ; Libros , inquam , Theologicos , & alios quovis diſciplinae genere. Illic videbis , & miraberis Chryſobulla piorum , & celebrium Imperatorum a Sancto Conſtantino Magno uſque ad poſtremum Romanorum Imperatorem Conſtantinum Palaeologum , nec non aliorum Orthodoxorum Imperatorum ac Principum ; Ruſſiae , Trapezuntis , Iberiae , Hungaro-Valachiae , Moldaviae , Serviae , & aliorum Principatuum . Illic item litteras Sanctiſſimorum Patriarcharum ſigillatas veneratione dignas , atque etiam aliorum Praeſulum ex diverſis provinciis*. Hactenus *Ioannes Comnenus*. Verumtamen *Ricautus* ſatis indicat , non ſoli tantum ſterilitatem in cauſſa eſſe , cur Monachi hi ceteras Graeciae provincias percurrant ſtipes colligendi gratia , ſed menſtruum praecipue tributum , quod Turcis ſolvere tenentur. *Solvunt* , inquit , *Sultano menſtruum mille argenteorum , ſeu ſcutorum tributum ; quod quidem ſuperat id , quod Turcae ex terrarum cultura percipere poſſent*. Hinc *Boſtangi Bachi* , qui horum Coenobiorum protector eſt , quotannis Martio ineunte *Agam* , tamquam ſuum Vicarium , eligit , qui annuum 12000. argenteorum tributum exigat ; quorum tamen 5000. argentei eius neceſſariis impenſis adſignantur. Praeterea unumquodque Monaſterium ſingulis menſibus ovem ei donat , non computatis agnis , & haedis , & aliis huiuſmodi , quos tempore Paſchatis eidem largiuntur. Hic Vicarius in Vrbe *Kareis* , quae in montis medio ſita eſt , habitat , trium aut qua-

tuor

tuor famulorum miniſterio utens, ſed feminam nullam admittens. Itaque de reditibus, & ſtipibus horum Coenobiorum diligentiſſimum *Ricautum* diſſerentem iterum audiamus; *Reditus habent partim ex arvis, quae in monte poſſident, quaeque eis panem, vinum, & oleum ſufficiunt. Quin etiam piſces abundanter habent: quum nullum coenobium ſit, quod oram maritimam piſcoſam non obtineat. Praeterea quodlibet monaſterium ſuas villas poſſidet, quas* μετόχια *adpellant, ſive in continenti, ſive in inſulis, ubi aediculas, & cellulas exſtruxere pro ſuae ſocietatis monachis, qui ea colendi curam habent. Frumenta, legumina, & linum libere ſerere poſſunt, & vineas plantare, & oves, capraſque alere; agnos, capros, lanam, lactem, caſeumque vendere. Hi Monachi rationem reddunt pecuniae, quam ex harum rerum diſtractione colligunt, ex quo reditu ſubſiſtunt. Poſſunt, dixi, habere in huiuſmodi metochiis greges ovium & caprarum; ſed res aliter ſe ſe habet quo ad montem, in quo femellam nullam tenere poſſunt, ne gallinam quidem: caſtitatis argumentum, quam hi Monachi profitentur. Illorum autem conſueti reditus nullatenus iis comparari poſſunt, quos conferant ſtipes eorum Apandochorum, quos mittunt in Provincias & praecipuas Civitates, praeſertim Conſtantinopolim, Smyrnam, Bulgariam, Serviam, Cretam, locaque alia, ubi Graeca Eccleſia ſectatores magno numero habet. Pretioſiora munera ex Moldavia, Valachia, Ruſſia, Moſcovia, & Georgia, ad eos mittuntur, unde Apandochi divitiis onuſti ſaepenumero revertuntur. Reduces hos apertis ulnis excipiunt, & ut eorum induſtriam remunerentur, illum qui plus adtulit in annum inſequentem Hegumenum ut plurimum eligunt. Apando-*

do-

dochi in ſtipe corroganda haud minus induſtrii ſunt, quam noſtri Mendicantes in Europa. Vidi eos ſaepe variis in locis cum pyxide, aut arcula, & parva alicuius Sancti imagine pro Monte Atho, & Monte Sina, eleemoſynas poſtulantes. Huiuſmodi autem ſubalterni Miniſtri ſunt quidam, qui ab iis pendent, quibus tamquam primariis haec provincia demandata eſt. Graeci ut plurimum, aut avari ſunt, aut inopes; & nihilominus, ſive horum vanitas, ſive illorum devotio ſit, obligatos ſe credunt ad eleemoſynam pro Sancto Monte elargiendam. Sunt etiam, qui quum populati ſint domos, & rapinis ac furtis vixerint, Deum placare arbitrantur, & peccatorum remiſſionem obtinere, latrocinii ſui partem huic monti obferentes. Hae ſtipes ingentibus Atho Monaſteria reditibus augent. Vidi ego in Libris Sanctae Laurae, ſex menſium ſpatio, 2000. ſcutorum oblationes illud Monaſterium accepiſſe, non computatis iis, quas Apandochi in provinciis diſſitis collegiſſe poterant. Qui ſacris ordinibus initiati non ſunt aliquo opificio exercentur, terram colunt, vineas curant, pecora & armenta paſcunt; & vivunt omnes conſenſione mirabili, & incredibili. Sed quum horum opera Monachorum reditus cumulent, videamus quid de iis laudatus *Ricautus* diſtinctius atque explicatius ediſſerat. *Statim ac laici Calogeri Monaſticam vitam amplectuntur, eos iis officiis deſtinant, quibus perficiendis idonei ſunt. Extra Coenobium plantant vineas, quas ſepibus & foſſis circundant; oleas colligunt, e quibus oleum exprimunt; ovium greges paſcunt, & eas tondent; ſed neque ſerunt, neque arant. In Coenobiis fabri ferrarii ſunt, qui ligones faciunt, bipalia, aliaque inſtrumenta arvis colendis neceſſaria. Sartores quoque habent, textores,*

pileo-

pileorum opifices , atque ſutores . Id , quod com- muni Monachorum uſui ex his rebus ſupereſt , advenis venditur , pecuniaque , quae ex harum rerum diſtractione colligitur , in ſocietatis emolumentum cedit . Suppeditat pariter ipſa ſocietas de ſuo materias , quas quis laborare debet , & ubi opera perfecta ſunt , eorum proprietas ad Monaſterium pertinet . Nam Calogeri ſicut Europaei Monachi, nihil proprium habere poſſunt . Homo tantum induſtrius magis eis curae eſt , quam iners . Ei neceſſaria omnia , & commoda praebent . Parum Communis intereſt an homines huiuſmodi litteras norint , nec ne . Itaque vix centenus quiſque eas novit . Illud quod ab eis exigitur eſt , ut praeter crucis ſignum , ſuas metanoeas facere ſciant , quae in ſe proſternendo , & terram fronte tangendo , conſiſtunt ; quod trecenties quotidie facere adſolent . Obſervatione quoque dignum eſt, in Metochio quodam ad Sanctam Lauram ſpectante , & triginta aut quadraginta Calogeros continente , ab iis Cochlearia , Cruces , Pyxides , Guttos , & res huiuſmodi alias fabricari ; quas die Sabbati ad nundinas urbis *Kareis*, vel *Kareais* proficiſcentes vendunt , quemadmodum aliorum Coenobiorum Calogeri omnes artifices , quaecumque in hebdomade operati ſunt; pretiumque harum rerum pecuniam numeratam accipiunt . In his pariter nundinis Monachi multa , quae ad victum neceſſaria ſunt , ſibi comparant , ut ova , caſeum , hircos, & oves , quotquot indigent ad lanificium , & ad munera *Agae* obſerenda . Coenobia primaria domus quaſdam *Kareis* habent , in quibus hoſpitantur ii , qui propter ſuae ſocietatis negotia in eam urbem ſe conferunt . Alias Coenobium quodlibet , ſuum ibi negotiorum geſtorem habebat ; ſed hodie ſex tan-

tum-

tummodo habent ; hoc eſt Coenobium *Sanctae Laurae* , *Iberus* , *Batopedos* , *Chiliader* , *Dionyſii* ; & *Contlomouſa* .

Hactenus quibus rebus , & negotiis Monachi Montis Atho occupentur , a nobis expeditum fuit : item de eorum reditibus egimus : nunc de eorum regimine , victu , habitu , ſupellectili , quaedam commemoranda ; & deinde eorum Coenobia , quotquot habent , ſingillatim deſcribenda ſunt. Quum pleraque Montis Atho Coenobia a Regibus & Principibus excitata fuerint , a Patriarchae Conſtantinopolitani iurisdictione exemta ſunt. Ne Aſprum quidem in Cathedrae obſervantiam ei tribuunt. Vniverſa Patriarchae auctoritas in eo ſita eſt , ut duos iis Archiepiſcopos conſtituat , quorum unus in *Kareis* reſidet , alter *Sidero-Capti* ; uterque tamen Theſſalonicae Metropolitae ſubiectus eſt. Nullum aliud his Archiepiſcopis negotium incumbit , quam Liturgiam facere , & ſacris ordinibus initiare. Singularum ordinationum mercedem , aureum accipiunt , & nihil amplius. Quod autem gubernium , & leges Coenobiorum attinet , univerſa haec inſpectio Hegumenorum eſt ; quum res aliae omnes praeter ordinationes , ſine Epiſcopi cognitione peragi poſſint. Quin Patriarcha ne cunctis quidem Monaſteriis Epiſcopos praeficere poteſt. Nam Monaſteria *Batopedos* , *Laura* , *Contlomuſa* , *Philotheus* , *Stauroniceta* , *Pantocrator* , *Simeno* , *Dochiarios* , *& Iberus* , ſeptuaginta circiter ab hinc annis exemtionem a Patriarcha pecunia data ſibi redemerunt ; quare ipſa Epiſcopum libere eligunt , a quo ſacri ordines ſuis Monachis conferantur. Quum itaque haec Coenobia a Patriarchae iurisdictione exemta ſint , *Boſtangi Bachi* protectione gaudent ,

qui

qui iis annuum *Agam*, ſeu Praeſidem, martio ineunte quotannis adſignat, ut iam diximus, ſub quo tanta libertate, & poteſtate fruuntur, tam in iis, quae religionem adtinent, quam in profanis negotiis, ut Turcarum nemo ad montem hunc accedere audeat, ſine illorum permiſſione. Hegumeni, ut iam obſervatum eſt, ii ut plurimum eliguntur, qui quum plus pecuniarum in ſtipe quaerenda collegerint, optime de ſuis Coenobiis meruiſſe cenſentur. Vt autem in commune de re Coenobiorum publica deliberare poſſint, publicam in *Kareis* domum habent, in qua celebrant Synodhum, quam *σύναξιν τῶν γερόντων* adpellant. De hoc loco ita ſcribit *Ioannes Comnenus* Medicus Valachus in *Deſcriptione Montis Atho: Protaton*, inquit, *eſt templum ampliſſimum, & pulcerrimum omnium, nomine Dormitionis Sanctiſſimae Deiparae inſignitum.* Et ex intervallo: *Illic eſt Monachorum forum, & in circuitu variae artificum officinae, vocaturque locus Caraes. Eo frequenter conveniunt Monachi Hegumeni, & Senes ad Synaxim, maximeque ſingulis Sabbatis: & de communibus omnium monaſteriorum negotiis & neceſſitatibus mutuo deliberant, ac diſſidia, quae accidunt inter patres, componunt, vectigaliaque & onera graviora, a Magiſtratu Theſſalonicenſi ſibi impoſita, ſolvunt. Ibi reſidet Aga iſthuc miſſus a Boſtangibaſſo Imperatoris, ut obſervet externa Monaſteriorum negotia, ut obſequentiae invigilet, & loca a piratis tueatur: qui communi Monaſteriorum expenſa victum habet. Ibi circumpoſita ſunt aedificia & villae omnibus una Monaſteriis contributae cum cellulis & Eccleſiis ad quietem, & recreationem ſanctorum Senum, qui procul ad Synaxim veniant. Quoniam plerique, aut propter nimiam loci diſtantiam, aut*

propter

propter alia impedimenta, non poſſunt in ipſa die ad Monaſterium reverti, ac neceſſario iſtbic manent; ideo in magna Protati Eccleſia ſunt pro ſingulis Hegumenis ſedilia ſecundum ordinem ſuum, ut ſtent ibi quum officio adſunt. Hactenus ille. De horum autem Monachorum victu ita ſcribit *Petrus Bellonius* Cenomanenſis, qui annis ab hinc ducentis circiter haec Monaſteria omnia peragravit: *A carnibus toto vitae tempore abſtinent, imo etiam in quadrageſima, aliiſque anni tempeſtatibus a piſcium ſanguinem emittentium uſu. Parce admodum ſobrieque victitant, cibo ut plurimum utuntur baccis olivarum non conditis ſale, ut apud noſtrates; ſed maturis, nigricantibus & aridis ad modum prunorum*. Veſtis horum Monachorum ab aliorum Monachorum habitu diverſa non eſt, de quo alibi opportunius nobis diſputandum erit: nunc enim quae Monachorum huius Montis ſunt propria perſequimur. Itaque ad eorum ſupellectilem deſcendendum, de qua ita *Ricautus* ſaepius laudatus ſcribit: *Calogeri adſidue ſuam paupertatem, & ſuae conditionis miſeriam conqueruntur; quod quidem mirantur ii, qui eorum theſauros vident . . . . Et profecto ſi magnificentia, opulentiaque ornatuum & veſtium altarium, & Eccleſiarum eorum conſideretur, difficile quis perſuaſum habuerit, eos ita pauperes eſſe, ut videri adfectant. Inter multas alias res ſpectatu dignas, imaginem Chriſti in ſepulcro iacentis, quam die Paraſceves exponunt, habent, quae auro & pretioſis lapillis tota diſtinguitur. Pleraque Coenobia ſuae inſtitutionis hiſtoriam oſtendere poſſunt non coloribus & pennicillo pictam, ſed opere Phrygio aurea fila mirabiliter diſponente delineatam,*

tam , bacchatamque margaritis atque lapillis. Superbas quoque Sacerdotum veſtes habent, quatuor praecipue Coenobia primaria , in quibus arcae exſtant veſtibus & ornatibus rei divinae deſtinatis plenae; catini , ſimpuli , hydriae , diſci , lances , candelabra, argentea ſunt , & innumera ; ſunt & multa ex auro obrizo , & deaurata. Immanes Cruces habent aureis laminis tectas , ex quibus baccarum maris Indici catenae dependent. Librorum tegumenta , ut Evangeliorum , Epiſtolarum , Pſalterii , Miſſalium , ſunt ut plurimum auro extanti onuſta , vel aureis argenteiſque emblematis teſſellata. Maxima harum divitiarum pars a Czaris , antequam Moſcovia ſubiectioni Patriarchae Conſtantinopolitani ſe ſubtraheret , donata fuit. At Moldavia , Valachia , Georgia , quum adhuc huic Patriarchae adhaereant , ſuam munificentiam erga haec Coenobia oſtentant , quum uni vel alteri quaeque benevolae ſint ; ut Georgiani, qui & Iberi dicuntur , Coenobium Iberum adprime diligunt ; ita ut eorum liberalitate ex opulentioribus cenſeatur. Haec munera faciunt , ut Monachi tanta magnificentia cum quotidianas , tum Feſtis ſolemnioribus , proceſſiones peragant ; & inſolita admiratione & veneratione harum Ceremoniarum populus percellatur , & ab iis non recedat , quin aliquid ſtipis & muneris etiam ipſe contulerit.

Tempus iam ut de Coenobiis ipſis agamus, duorum Scriptorum veſtigiis inhaerentes , ſaepe a nobis iam laudatorum , *Ioannis Comneni* videlicet, & Britanni Equitis *Ricauti* . Et primum ſe ſe offert ,

I. Celebre Monaſterium *Laurae* Sancti *Athanaſii Athoniti* , quod nomine *Dormitionis Deiparae* τῆς Θεοτόκου τῆς κοιμήσεως exornatur , & pulcher-

critudine eſt inenarrabili; quodque, quum vetuſtate dilaberetur, reſtauratum fuit ab Authente Hungaro-Valachiae *Neaugulo Vaſſaraba* Voevoda, qui totam Eccleſiam plumbeis tabulis texit: ut ſupra magnam Narthecis portam in ipſo plumbo magnae camerae inſcriptum viſitur. Habet hoc Monaſterium Sacella viginti ſex, cum interius, tum exterius poſita, quorum magna pars depicta & ſplendidis mirabilibuſque ſtrata marmoribus; in ſingulis vero lampas perpetuo ardet. Maxime vero omnium ſubſpicitur magnum & admirandum refectorium, crucis forma ſtructum, quod menſas habet marmoreas viginti quatuor; ac ſeorſim ad ſuperiorem partem Hegumeni menſa eſt. Refectorium peramplum & ſpatioſum eſt, totum interius exteriuſque depictum. Inter Templum vero, & refectorium occurrit immanis marmoreus crater, in quo Monachi cuiuslibet menſis initio Sanctificationem peragunt. Stat crater in medio camerae ſpecioſiſſimae depicto interius fornice, qui columnis decem marmoreis fulcitur. Templum eius peramplum eſt, & luminoſum, ſtratum praegrandibus ſplendidiſque marmoribus, quae magna pars porphyretica ſunt. Murus a terra ad duas ulnas altitudinis aulaeo veſtitur, opere Phrygio, ſumtibus Patriarchae Conſtantinopolitani *Dionyſii* ex Andro. Imagines habet multas antiquas, & ſpecioſas auro circumlitas, argenteis, aureiſque laminis ornatas, cum lapidibus pretioſis. Extra illas autem duae ſunt praegrandes, Servatoris noſtri Chriſti una, Deiparae altera; quas argento exornavit Imperator *Andronicus Palaeologus*. Ad latera imaginum ſunt Imperator, & uxor eius Imperatrix, in argento effictí. Eſt & alia imago Sancti *Athanaſii*

Atho-

Athoniti argento exornata ab Authente Hungaro Valachiae *Neaugulo* Voevoda : ad cuius latera ipſe depictus eſt cum coniuge ad rei memoriam. In hoc ipſo templo lampades multae iugiter ardent. Supra Narthecem autem eſt Bibliotheca, in qua reperiuntur libri multi veteres manuſcripti. Monaſterium turribus in ambitu munitum eſt. Procul Monaſterio in praeruptis montis eſt Scete *Gregorii Palamae* Archiepiſcopi Theſſalonicae; prope autem cellula *Cucuzelae*, Cantoris celebris, nec non Aſceterium Sancti *Petri Athoniti*. Extra Monaſterium in editis locis eſt Sacellum Sancti *Ioannis Chryſoſtomi*, cellulaeque, quas cum Sacello Patriarcha *Dionyſius* Andrius exſtruxit. Habet porro Monaſterium ad littus maris, portum exaedificatum, & turrim excelſam, cum conclavibus pulcerrimis, & Sacello admirando, atque inſuper in faſtigio tormentis bellicis ad portus cuſtodiam. In Magna Eccleſia Reliquiae multae adſervantur, & inter eas Caput Sancti *Michaelis* Synnadenſis ab Authente Hungaro-Valachiae *Ioanne Conſtantino Vaſſaraba* Voevoda, qui anno 1714. e throno deiectus eſt, magnifice exornatum auro multo, & lapidibus pretioſis cum theca argentea, & admirabili. Hoc Coenobium menſtruum centum decem argenteorum tributum ſolvit. Ab hoc Monaſterio dependent

Templum Sanctae *Annae*, & Aſceteria circumpoſita in loco alto, & acceſſu difficili numero plus ſexaginta : ibi ſunt item Sacella Aſcetarum multa. Incolae vero Eremitae, & Aſcetae, labore manuum victum parant. Hoc Templum, quod & *Cyriacum*, hoc eſt *Dominicum* dicitur, pridem anguſtum valde fuerat. Verum Patriarcha CP. *Dionyſius Andrius*, qui neſcio an ſit idem ac *Dionyſius Mu-*

 ſe-

ſelimes electus anno 1671. ſumtibus multis ipſum dilatavit, & ornavit; qui Patriarcha multa alia bona Sancto Monti contulit, impenſis minime parcens. In via, qua itur a Sancta Anna ad Monaſterium Sacrae Laurae *Sancti Athanaſii*, reperiuntur cellae admirandae, quae omnes ad eamdem Lauram pertinent; videlicet *Sanctus Panteleemon*, *Caraſia*; ubi eſt Sacellum Sanctorum Apoſtolorum; *Sanctus Demetrius*, *Sanctus Antonius*, & *Sanctus Athanaſius*; deinde Cella *Capſocalytae*, & *Sanctus Petrus*. Inde procedes ad turrim *Morphini*, quae iam deſerta eſt, ubi templum exſtat Sancti & magni Martyris *Georgii*.

II. *Batopedii* Monaſterium pulcerrimum nomine *Adnuntiationis Sanctiſſimae Deiparae* honoratur. Huius Templum peramplum, & admirandum eſt, habetque quatuor columnas eximias, magnaſque, porphyritis colore, quae in Crucis formam Eccleſiae tholum ſubſtentant. In eo Ciboria duo ſunt elegantiſſima & magnifica: pavimentum totum ex marmoribus, & porphyrite concinne eleganterque ſtratum. Inter Reliquias erat ibidem olim Caput Sancti *Andreae* Cretenſis; ſed Monachi a multis iam annis ipſum quaſi Cimelium pretioſum obtulerunt magno totius Ruſſiae Imperatori. Multae ſunt picturae in hoc Templo, quemadmodum in muro Narthecis muſivo opere expreſſae; Amboneſque ſpectabiles ſunt affabre ſculpti, variiſque hiſtoriis inſculpti. Supra Narthecem eſt Bibliotheca ditiſſima. Habetur item alia Bibliotheca in Scevophylacio, ſeu Sacriſtia, multis pariter libris inſtructa. In Turri item excelſa prope Catechumena eſt Horologium magnum. Suntque aliae Turres praeal-

tae

tae quinque , aliaeque minores quatuor , bellicis tormentis inſtructae. Habet autem Monaſterium intus, et foris Sacella quatuordecim , Portum ſpectabiliſſimum & amplum ; ubi Monachi cum retibus omnia obſoniorum genera piſcantur. Poſſidet item diverſis in locis Scetas, Cellas , Aſceteria, Turres , Molendina, Heſychaſteria cum ſeptis parietinis , & vineas amoeniſſimas. Menſtruum Sultano centum argenteorum tributum hoc ſolvit.

III. Monaſterium *Chilantarii* ad littus maris habet Navale cum Turri excelſa , & murorum ſepto ; cuius Templum ornatur nomine Sanctiſſimae Deiparae *τῶν ἀσοδίων*, totumque plumbo opertum eſt. Fundatum fuit ſumtibus *Stephani* Serviae, & Romaniae Regis , qui *Romani* Imperatoris X. vel XI. Saeculo gener erat. Habet columnas quatuor praegrandes ex marmore albo , in Narthece item duas, in exteriore Narthece ſeu veſtibulo totidem. Pavimentum eius ex marmore albo eſt, lapillis varii coloris diſtincto, quod ſane ſpectaculum iucundum exhibet. Qui ibi Aſceticam vitam ducunt Monachi , genere Servi , & Bulgari ſunt. Nam fundatores huius templi praeterea fuere SS. *Sabbas*, & *Symeon* pater eius, Bulgariae Deſpotes. Hoc Coenobium eſt veluti colonia Monaſterii *Batopedii* ; nam *Sabbas* ille, huius Calogerus, *Chilantarii* Monaſterium conſtruere adgreſſus eſt, ut in hoc Monachi omnes eiusdem linguae ac nationis habitarent, quum in *Batopedio* omnigenarum nationum homines exciperentur. Hoc Coenobium menſtruum centum argenteorum tributum ſolvit.

IV. Monaſterium *Iberorum* antiquiſſimum eſt, a *Tornicio* Ibero , Romani Imperatoris duce , & deinde Monacho effecto , ad refugium patriae ſuae

Georgiae conſtructum ; ideoque vocatur *Iberorum*. Renovatum deinde hoc Monaſterium fuit a Regibus, & Principibus Iberiae, cum valido muro in circuitu. Templum nomine *Dormitionis Deiparae* inſignitur, eſtque magnum ac conſpicuum, totum plumbo tectum, habens quatuor tholos, & portas magnas tres; pluribuſque intus columnis porphyreticis eius partes fulciuntur; aulaeis, picturiſque ornatiſſimum. In Eccleſia marmore ſtrata multae Sanctorum Reliquiae adſervantur. Eſt & aliud intra Monaſterium vetus Templum *Praecurſoris* duplici tabulato. Aliud item *Sanctiſſimae Virginis* plumbo tectum, fundatum ab Iberiae Principe *Aſota*. Totum templum marmoribus & porphyrite ſtratum eſt, habetque circum columnas marmoreas ſpectabiles. Stat vero ſupra columnas quatuor, totumque depictum eſt a perito pictore, ſumtibus Authentae Hungaro-Vlachiae *Ioannis Serbani* Voevodae *Cantacuzeni*, qui anno 1683. iam Principatus habenas moderabatur. Habet item Monaſterium alia Sacella ſexdecim, Bibliothecas in tribus locis opulentiſſimas, libris multis veteribus & novis inſtructas, & Chryſobulla multorum Imperatorum, Patriarcharum, & Authentarum ſpectabiliſſima. Habet & praealtas turres, & navale, & tormenta bellica in circuitu. Extra Monaſterium Cellae ſunt cum Eccleſia, quo mittuntur leproſi: habenturque alia item domicilia variis in locis pulcre exaedificata. Licet primum in hoc Monaſterium nonniſi Iberi admitterentur; hodie in eo etiam Graeci indifferenter excipiuntur, teſte *Ricauto*. Ab hoc menſtruum 85. argenteorum tributum ſolvitur.

Haec quatuor Monaſteria, quae hactenus deſcripſimus, omnium ſunt maxima, & locupletiſſima.

V. *San-*

V. *Sancti Dionyſii* Monaſterium excitavit Trapezuntis Imperator *Alexius Comnenus* anno Chriſti MCCCLXXX. hortatu Sancti *Dionyſii*, qui frater minor erat *Theodoſii* tunc Archiepiſcopi Trapezuntini, & in loco, in quo Monaſterium eſt, vitam aſceticam egit. Huius Imperatoris Chryſobullum illic integrum ſalvumque adſervatur cum aliis multorum Imperatorum Chryſobullis, ac chartis ſigillatis Patriarcharum, variorumque Authentarum. Hoc exornavit deinde *Neaugulus Baſſarabas* Voevoda Hungaro-Valachiae, quartus poſt *Radulam* Voevodam, quo nomine Voevodam invenio anno 1664. regnantem; ſed poſt quem nullus Voevodae *Neaugulo* locus relinquitur. Immo quum *Neaugulus Matthaeum* Voevodam aetate praeceſſerit, oportet ut *Radulas* hic alius ſit eiusdem nominis Voevoda perantiquus. Ex his tamen, quae ſequuntur, liquere arbitror *Neaugulum* ſub exitum Saeculi XV. & initium XVI. vixiſſe, utpote qui dicitur filius ſpiritalis *Niphonis* Patriarchae CP. quem puto eſſe *Niphonem* Theſſalonicenſem Metropolitam, qui poſt annum 1482. Patriarcha CP. creatus fuit, & iuvenis in Monte Atho, in Monaſterio *Pantocratoris*, aliquandiu vixit. *Nipho* enim Cyzici Metropolita, qui Patriarcha CP. anno 1312. electus fuit, eſſe non poteſt, utpote quem variorum criminum reum Graeci hiſtorici faciunt. Tertio item decoratum poſtea fuit hoc Monaſterium ab Authente Hungaro-Valachiae *Petro* Voevoda, qui anno Chriſti MDXXX. Eccleſiam depingi curavit. Demum *Roxandra* uxor *Alexandri* Voevodae, filia *Petri* Voevodae, noſocomium pro infirmis, & refectorium picturis decoratum excitavit. Templum magnum conſpicuum, plumbo opertum, duos habet

Nartheces, fulciturque quatuor columnis marmoreis, & marmoribus praegrandibus ſtratum eſt. Picturis ornatum, & vaſis aureis, & argenteis inſtructum multas Sanctorum Reliquias continet, & inter eas Sancti *Niphonis* Patriarchae CP. totum corpus, exceptis dextera manu & capite, quod in pretioſa theca depoſitum eſt ſumtibus *Neauguli Baſſarabae* Voevodae, qui erat ſpiritalis eius filius. Caput autem & dextera manus exſtant in Hungaro-Valachia, in Templo Monaſterii *Agieſii*, cuius feſtum celebratur undecima Auguſti menſis. Habet Monaſterium Bibliothecam ditiſſimam, & circum porticum ad proſpectum, turres praealtas, & cellas duplicis tabulati. Praeter memoratos fuit huius Monaſterii inſtaurator *Theodoſius* filius *Neauguli Baſſarabae*; & *Pachomius* quidam Monachus, qui olim fuerat *Alexander* Authentes Valachiae, memorati *Petri* Voevodae gener, & praedictae *Roxandrae* vir. Fundatoribus item adnumeratur *Silvanus* Monachus, qui a *Petro* Voevoda miſſus fuit, ut conſtruendo operi advigilaret; & *Macarius* Heracleae in Thracia Metropolites, qui abdicato throno in Monaſterium cum omnibus facultatibus ſuis ſe tranſtulit; item *Lazarus* & *Boius* fratres Germani, cumque ipſis *Manuel*, *Thomaſque* pariter fratres. Divo *Ioanni Baptiſtae* dedicatum eſt hoc Monaſterium, & menſtruum ſexaginta argenteorum tributum ſolvere cogitur.

VI. Monaſterium *Pantrocatoris* fundatum fuit ab *Alexio* exercitus duce, qui poſtea Romanorum Imperator fuit, ut eius Chryſobullum enarrat, & forte *Alexius Angelus*, vel *Alexius Murſiphilus* eſt XII. vel XIII. Saeculo. Fundator item eius fuit *Ioannes* Primicerius eiusdem *Alexii* frater. Caſtrum autem

autem exterius quum prae vetuſtate multis in partibus dilaberetur, reſtauravit magnus Logotheta *Barbulus*, & *Gabriel*, Principes viri in Valachia conſpicui, & religioſi. Templum habet ſpectabile in honorem *Transfigurationis* Salvatoris Chriſti, quod quatuor marmoreis columnis fulcitur, totumque picturis exornatur; & in quo multae Sanctorum Reliquiae cuſtodiuntur. Hoc Coenobium argenteos 57. ſingulis menſibus pro tributo ſolvit.

VII. Monaſterium *Xeropotami* dictum, nomine Sanctorum *quadraginta Martyrum* honoratur, Templumque habet maximum, & ornatum, plumbo opertum, fultum columnis marmoreis quatuor. Pavimentum totum ex marmore Pario albo confectum eſt. Quum hoc Monaſterium annis bene multis deſertum manſiſſet, Valachiae Authentes *Alexander* Voevoda, qui anno circiter 1580. regnabat, ipſum magnis ſumtibus reſtauravit, & Eccleſiam depinxit, & decoravit. Quinquaginta ſex argenteos pro tributo ſolvit, auctore *Ricauto*, qui tradit ab *Andronico Palaeologo*, quum habitum Monaſticum anno 1332. induiſſet, fundatum fuiſſe, vel ſaltem reſtauratum.

VIII. Monaſterium *Cutlumuſae* ab Imperatore *Alexio Comneno* ſaeculo XII. fundatum, & deinde dirutum Valachiae Authentes *Neaugulus* Voevoda elapſis pluribus annis, ſimiliterque *Radulas* Voevoda, *Baſſarabae*, anno circiter MD. ut obſervat *Ricautus*. Item *Myrthas* Voevoda, & *Vintilas* Voevoda, ipſum paulatim totum reſtaurarunt, qui in Eccleſia per circuitum depicti ſubſpiciuntur. Eccleſia honoratur nomine *Transfigurationis* Salvatoris Chriſti, & picturis ornata eſt, & tota plumbo operta eſt. Hoc Monaſterium menſtruum quinquaginta

quinque argenteorum tributum ſolvit, ut ſcribit *Ricautus*, qui in eo a *Ioanne Comneno* diſſentit, quod *Andronicum Palaeologum* huius Coenobii fundatorem perhiberi adfirmat. At quia proxime hoc monaſterium ſitum eſt Protaton, ideo de illo conſequenter agere deberemus, ſed quum de eo iam ſuperius *pag.* 153. mentionem tempeſtive fecerimus, pluria modo addere ſuperſedemus.

IX. Monaſterium *Simonis Petrae* Templum habet nomine *Nativitatis Chriſti* inſignitum. Eſt vero pulcrum, nulliſque non ornamentis decoratum, interque eius ſacra Cimelia habetur Evangelium Magni pretii, donum *Michaelis* Voevodae, qui, ut videtur, *Matthaeum* Voevodam aetate praeceſſit. Monaſterium ad quietem commodiſſimum eſt, quod in cacumine petrae cuiusdam Sanctus *Simon*, qui proxime hunc locum vitam aſceticam duxit, unde *Simonis Petrae* dictum fuiſſe videatur.

Saeculo ſeptimo decimo circiter medio reſtauratum fuiſſe ſcribit *Ricautus*, & quinquaginta quatuor argenteos ſingulis menſibus pro tributo ſolvere.

X. Monaſterium *Zographi*, ſive *Pictoris*, ſub *Leone Sapiente* Imperatore, qui anno 886. electus eſt, excitatum fuiſſe perhibetur; ipſumque reſtauravit Authentes Moldo-Valachiae *Stephanus* Voevodas anno mundi 7010. Chriſti MDII. qui etiam depictus eſt extra Eccleſiam ad rei memoriam. Huius Templum honoratur nomine Sancti, & magni Martyris *Georgii*, plumbo opertum, ac ſex tholis faſtigiatum. Murus eius in caſtri formam ſtructus amplus eſt, treſque portas habet. Monachi iſthic aſcetice viventes Servi ſunt & Bulgari. Hoc triginta quinque argenteos pro tributo ſolvit.

IX.

XI. *Dochiarii* Monaſterium in primis & dignioribus Sancti Montis Monaſteriis numeratur. Eius fundator fuit Sanctus *Euthymius* Cathegumenus ſub *Nicephoro Botaniate* Principe, qui anno 1078. Imperator electus eſt, amicus & ſocius Sancti *Athanaſii Athoniti*. Item *Nicolaus* quidam Patricius conſobrinus memorati *Euthymii*, qui denique in eo ipſo Monaſterio monaſticam vitam amplexus, *Neophytus* vocatus eſt; nec non Monachus quidam *Barnabas* nominatus. Dirutum *Alexander* Authentes Moldo-Valachiae Voevoda reſtauravit, & Eccleſiam excitavit a fundamentis anno mundi 7086. Chriſti MDLXXVIII. totamque interius depinxit, magnificeque ornavit. Eccleſia nomine Sanctorum caeleſtis militiae Principum *Michaelis* & *Gabrielis* inſignitur. Prius autem Sancti *Nicolai* Myrorum in Lycia Epiſcopi nomen tulerat. Ea praealta, & pulcra eſt cum tholis quinque plumbo operta, habetque columnas quatuor admirandas, multaſque Sanctorum Reliquias complectitur. Hoc Monaſterium triginta argenteos ſingulis menſibus pro tributo ſolvit.

XII. Monaſterium *Sancti Pauli* Bulgaris & Servis incolitur. Eſt vero Templum eius pulcrum, totum plumbo opertum, & nomine Sancti *Georgii* Martyris honoratur. Pictura eius vetus eſt Bulgarico more facta; quin & Imagines multae Moſcoviticae in eo ſunt. Extra Templum eſt Narthex totus depictus eleganter. Reliqua Monaſterii ſtructura elegans eſt & ſublimis, eiuſque aedificia iam multo pulcriora effecta ſunt, poſtquam Authentes totius Hungaro-Valachiae *Ioannes Conſtantinus Baſſaraba* Voevoda *Brancobanus* a fundamentis ibi turrim excitavit, ac varias cellas, Sacellum, &

Refe-

Refectorium elegans condidit. Inter Reliquias eius Eccleſiae, pars donorum a Magis oblatorum recenſetur, quam donavit *Maro* filia *Giurae* Serviae Deſpotae. Hanc Agarenorum Imperator *Mahumetes* poſtea in uxorem duxit quando Conſtantinopolim ſubegit anno 1453. Hoc in loco Sanctus *Paulus* Monachus Sacellum primum condidit, & totum deinde Monaſterium ſtruxit Authentes Symendri in Servia *Giuras* Deſpotas. Hoc menſtruum triginta quinque argenteorum tributum ſolvit.

XIII. Monaſterium *Xenophi* ad littus maris Templum habet pulcerrimum, quod honoratur nomine Sancti *Georgii* Martyris, & columnis, marmoribus, porphyrite, ac totum undique picturis ornatum eſt. Patres iſthic habitantes Servi & Bulgari ſunt. Primus huius Monaſterii fundator fuit Sanctus *Xenophon* a quo nomen accepit. Sub haec anno Mundi 7053. Chriſti MDXLV. ipſum reſtaurarunt *Lucas Bornicus*, & frater eius *Radulas*, Principes Hungaro Valachiae, totamque Eccleſiam pulcre depingi curarunt. Demum Authentes Valachiae *Mataees* Voevoda *Baſſarabas* ſuis ſumtibus Narthecem Eccleſiae, & totum Refectorium picturis ornavit. Hoc menſtruum triginta argenteorum tributum ſolvit.

XIV. Monaſterium *Gregorii* ad littus maris ſitum eſt, Templumque habet in honorem Sancti *Nicolai* conſtructum, & plumbo contectum. Fundator huius fuit Sanctus *Gregorius Iunior*, a quo nomen accepit. Demum Authentes Moldo-Valachiae *Alexander*, Pater *Bogdani*, Voevoda magnifice reſtauravit ipſum anno ab Adamo 7005. Chriſti MCCCCLXXXXVII. Solvitur ab hoc tributum viginti quinque argenteorum menſibus ſingulis.

XV.

XV. Monaſterium *Parachili* Eccleſiam habet elegantem nomine Sanctorum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, plumbo contectam; caſtrumque in circuitu, turrimque praealtam, & bene extructam. Authentes Moldaviae *Petrus* Voevoda, quum ipſum reſtaurare vellet, miſit *Petrum* Protoſpatharium ſuum cum pecunia multa, juſſitque pulcro in ſitu fundari Monaſterium. Quum Spatharius quaeſtus cauſa turrim tantum juxta mare ſtruxiſſet, Authentes re comperta, factum hujuſmodi indigne tulit, nec Spatharius mortem evaſiſſet, niſi Monaſterium, quo loco iam ſitum eſt, proprio peculio exſtruere ſe recepiſſet, quod Authentes valde probavit. Qui deinde uno conſenſu una cum Spathario in hoc eodem Monaſterio Monaſticum ſtatum amplexus eſt, amboque *Pachomii* nomine vocati ſunt, ac reſiduum vitae ibidem tranſegerunt. Hoc Monaſterium menſtruum viginti quinque argenteorum tributum ſolvit.

XVI. Monaſterium *Simeni*, vel, ut accuratius loquamur, *Eſphigmeni*, habet templum admirandum oblongum, columnis duabus ornatum, tholis faſtigiatum, eſtque totum pulcre depictum. Templum conſecratum eſt in honorem Adſumtionis Salvatoris Chriſti. *Ioannes Comnenus* illud fundatum tradit ab Imperatore *Theodoſio Iuniore*, & Sorore *Pulcheria*; ſed *Richautus* nullam eius fundationis memoriam exſtare litterarum monumentis conſignavit. Iſtud viginti quinque argenteorum tributum ſingulis menſibus ſolvit.

XVII. Monaſterium *Philothei* Templum ſpectabile nomine *Adnuntiationis Sanctiſſimae Deiparae* habet. Fundatores *Arſenius*, *Philotheus*, & *Dionyſius*, qui in Olympo Monaſterium excitavit. Hi vero ſupra Narthecem depicti viſuntur. Demum anno ab

Ada-

Adamo 7000. Chriſti MCCCCXCII. Rex Cachetii *Leontius*, & filius eius *Alexander*, propriis facultatibus pulcriorem in ſtatum reſtaurarunt; refectorium magnum & elegans excitarunt, totumque depinxerunt: ubi etiam viſuntur ipſorum imagines. Hoc Monaſterium eſt *Keſim*, quod lingua Turcica ſignificat a tributis exemtum, ob eius pauperiem.

XVIII. Monaſterium *Ruſſorum* Templum habet in honorem Sancti Martyris *Panteleemonis* conſecratum. Fundator eius fuit *Knezes* Serviae Lazarus, qui ob incorruptam virtutem Sanctus poſtea habitus eſt. Hoc etiam Monaſterium eſt *Keſim*.

XIX. Monaſterium *Caſtamoniti* in honorem Sancti Protomartyris *Stephani* conſecratum Templum habet magnum & ſpectabile, quinque tholis faſtigiatum, plumbo coopertum, ac depictum. Eſt autem inops, ac neceſſariorum penuria laborat, quare & ipſum *Keſim* eſt. Reſtauratum fuit a *Manuele Palaeologo* Imperatore, ut Chryſobullum eiusdem declarat.

XX. Monaſterium *Stauroniceta* dictum Patriarcha CP. *Ieremias Senior* fundavit. Hic Patriarcha ante annum 1520. electus fuit, deinde expulſus poſt illum annum reſtitutus eſt, & ſedem tenuit per annos XXIII. & menſes aliquot. Eius Templum nomine Sancti *Nicolai* Archiepiſcopi Myrorum inſignitum eſt. Exſtat etiam ibi Templum parvum quidem, ſed artificio, & picturis elegans. Aquam, qua ad potum utuntur Monachi ibi verſantes, deduxit Authentes Hungaro-Valachiae *Serbanus Cantacuzenus* Voevoda ſub fornicibus, opus ſane multi ſumtus. Hoc Monaſterium octodecim argenteorum tributum ſingulis menſibus ſolvit.

Et

& invenire, ut facilius attendas tibi-met-ipſi; & quod melius eſt poſſideas, ex te ipſo motus, & exemplis eorum, inter quos fueris cooptatus. Vides tamquam ex ſubterraneo mihi conſolationem emergere, quam maxime parabilem. Tu autem neque conſolationem iure optimo accipies ex meis ſermonibus, & ex iis, quae tibi inſunt, (congenita autem tibi ſunt & multa & bona) patrocinans, & conſuetae tuae probitati quoad fieri poteſt ſuccurrens. Tantam enim ſolicitudinem & curam tuam circa nos, & in praecedentibus, & etiam in futuris, etſi nos idonei non ſimus, Deus multa abundantia, & pluribus, maioribuſque donis remunerabitur. Et haec hactenus dicta ſunto. Ipſe vero, o admirande, utrumque ſanaveris hominem; & nobis cum omni reverentia agentibus tua

ne

Et haec de Coenobiis hiſce ex *Ioannis Comneni de Monte Atho Commentario* ad rem noſtram magis facientia excerpere lubuit; nam noſtra parum refert quid de fabuloſis Monaſteriorum fundationibus, miraculis Graeca fide dignis, aliiſque id genus hiſtoriis, litteris Graeculus ille mandaverit. Sed & *Ricautus* auctor non ſpernendus nobis praeſidio fuit, cuius documentis *Comnenum*, quoad Monaſteriorum deſcriptionem, aut ſupplevimus, aut caſtigavimus; multoſque alios Scriptores conſuluimus, qui a nobis citati legentibus paſſim occurrunt.

ne pigreris quaeſumus reſcribere. Oſculatus autem fueris meo nomine manus nobiliſſimi Domini Andreae Telli, & ex parte reliquos amicos ſalutaveris; maxime vero tuum nobiliſſimum Patrem, & tuum prudentem & gratioſiſſimum Germanum. Venetiis. Antheſterionis decima deſinentis anno ſalutis MDLXXXVII. ( )

(·) Haec Epiſtola in Cretam miſſa videtur; nam gens *Spira* Cretenſis eſt, ut ex Epiſtolis *Andreae Spirae* colligitur.

Sancto, & ſapienti Hieromonacho Domino Meletio Blaſto ( ) Maximus humilis Epiſcopus Cytherorum, bene agere.

IVcundiſſimae mihi tuae litterae, o ſacrum & amicum caput Meleti; etenim bona methodo & Ariſtotelicis hae ele-

(1) Nobilis *Blaſtorum* familia Cydoniatis eſt, ſeu ex *Canea*, de qua urbe nonnulla ſuperius *pag.* 224. obſervata fuere; idque conſtat ex Epiſtola *Dionyſii Cateliani* ad *Manuelem Blaſtum Cydoniatem*, quam ſuperius *pag.* 71. exhibuimus. Tres *Blaſtos* in hiſce Epiſtolis, quas publici iuris facimus, offendere eſt, *Meletium Blaſtum* Hieromonachum, ad quem plures litteras dat *Margunius* noſter; *Manuelem* ſeu *Emmanuelem Blaſtum*, Cydoniatem, cui ſcribit lau-

elegantiis (r) fulciuntur, & bonae partis quam plurima una cum iis inferuntur;& non ma-

laudatus *Catelianus* ſuperius *pag.* 62. 69. 71. & forte non alius *Manuel* eſt, qui ipſi *Cateliano* ſcribit *pag.* 78. Cui etiam tamdem ſcribentem invenio *Michaelem Blaſtum pag.* 89. *Meletius* igitur noſter *Blaſtus* Hieromonachus erat, hoc eſt *Monachus Sacerdos*, ut adnotavimus ſuperius *pag.* 113., non, ut *Henr. Hilarius* ridicule putat, *Monachus Montis Atho*, quaſi ii tantum *Hieromonachi* vocitarentur. Hic quidem anno 1590. in Monaſterium *Sanctae Haecaterinae*, vel aliud, Candiae tranſiſſe videtur, ex alia *Margunii* Epiſtola, qua gratulari ſe patriae dicit, quod tanto Sacerdote ditata ſit. Et certe eum virum gravem, & docta eloquentia praeditum, multaeque auctoritatis in Creta fuiſſe, Epiſtolae ei a *Margunio* ſcriptae luculente indicant. Ipſe quidem aliquando veritus ſum, ne non hic *Meletius* idem eſſet cum *Manuele Blaſto*, qui quum Monaſticum habitum induit, nomen *Manuelis* Meletio de more commutarit, nomine per eamdem litteram incipiente, ut ſuperius *pag.* 151. a me obſervatum fuit. Sed quum videam *Meletium* anno iam 1590. Hieromonachum fuiſſe; & hoc eodem anno a *Dionyſio Cateliano* Epiſtolam *Manueli Blaſto* mitti, aqua mihi in hoc haeret. Quin ſi Epiſtola *Manuelis* ad *Catelianum*, eſt *Manuelis Blaſti* ut ſuperius ſubſpicatus ſum; ea certe ſcripta eſt Patavii anno 1592. Num idem cum *Michaele Blaſto* fuerit, alii videant: ne non ſit ego vereor. Inter Calligraphos a praeſtantiſſimo *B. Montefalconio* re-

magis arbitror Peripateticos (2) quã aliquem undequaque doctiſſimorum Areopagitarum (3) te ſequutum eſſe, ex his, quae utrique parti placuere, optima coagmentans, & artificioſe verborum adparatum elaborans. Ego quidem quum ſenex, & vetuſtus aliquis

recenſitos occurrit *Nicolaus Blaſtus*, qui anno 1484. Codicem Demoſthenis in Regia Bibliotheca Lutetiae Pariſiorum adſervatum deſcripſit. Haud eiusdem gentis fuiſſe crediderim *Matthaeum Blaſtarem* ſeu *Blaſtarium*, Hieromonachum, qui circa annum 1335. compoſuit Syntagma alphabeticum rerum, quae in ſacris Conciliorum Patrumque canonibus, & Imperatorum legibus exſtant, digeſtarum ſub certis titulis, litterarum ordine diſpoſitis, de quo *Fabricius* in ſua *Graeca Bibliotheca*.

(1) *M. Tullius* facundiam *Ariſtotelis* auream adpellavit.

(2) *Ariſtotelis* libros plurimi, ut decet fieri, a recentioribus Graecis, ex eo conſtat quod horum plerique Peripatetici fuerunt, ut *Ioannes Argyropulus*, *Georgius Scholarius*, *Georgius Trapezuntius*, ipſe *Gemiſtus Pletho*, & *Beſſarion*, *Theodorus Gaza*, aliique. In Bibliotheca Riccardiana exſtat Codex MS. Graecus, qui Philoſophiam Peripateticam continet in compendium redactam a *Ioſepho Rhacendyte* qui circa annum 1300. vixiſſe videtur, *Ioannis Actuarii* *σύγχρονος*.

(3) De Areopago Athenarum, & Areopagitis, vide luculentiſſimum *Ioannis Meurſii* Commentarium.

quis ſim, hoc ſolum novi, modum & intelligentiam epiſtolae eſſe uſum. Ita & charactere incompoſito, & facili ſcriptione, ad ſatietatem uti didici. Vbi enim utique ſit Philoſophus locus tuis Philoſophicis commentationibus, Meleti, apud viros iubentes implere hoc ſolum in mutuis litteris, familiariter ſcilicet converſari cum amicis, & iis, qui familiares ſunt, libere ſuipſorum conſilia & cogitationes indicare. Si vero Philoſophiae aliquid etiam litteris attributum eſt, non tamen ſimpliciter omnino hoc, neque qualitercumque. Publice enim philoſophari etiam Pythagorae (1) auditoribus vetitum erat: non vero taciturnum aliquid epiſtola eſt, ſed valde commune. Noſtrae vero Philoſophiae (2) plura ſunt penitiora, & minime efferenda, niſi quis illa dixerit, propter quae vel multitudo rerum dolorem adferentium comminatione terretur, vel utiliorum ſpe confirmatur. Igitur quaecumque huiuſmodi ſunt multitudini communiora. At ſacra Philoſophia multis tenebris obumbratur,

S tur,

(1) Vide *Diogenem Laertium*, & *Iamblichum*, in *Vita huius Philoſophi*.

(2) Hoc eſt Chriſtianae ſapientiae, quae Philoſophia a Graecis vocatur, ut apud *Suicerum* late videre eſt, & ipſe obſervavi *De Erud. Apoſtolorum*

tur, & mihi ad hoc Pſaltes reſpexiſſe videtur in ſacris Hymnis, ubi dicit: *poſuit tenebras latibulum ſuum*. Et aliquando in litteris philoſophari quis poteſt, aliquando minime, ne non initiatis arcana prodantur (1). Et ſicut canibus proiicere ſancta & ipſis dantibus & accipientibus damnoſum eſt, de his quomodocumque publice loqui non ſine culpa eſt. (2) Ego enim, ut congruum erat, tuam humanitatem, & doctrinam erga tuum populum in praecedentibus meis ad te litteris laudare adductus ſum, non dicere meum Philoſophicum ſtudium. Quomodocumque igitur res ſe habeat, quoniam tibi amicum eſt intelligere, amo te, qui huiuſmodi es. Et in hoc maxime philoſophari (3) te opto, ut fortitudinem in aſperis rebus, & tranquillitatem, & ſtrenuitatem mentis in iis, quae contra ſententiam accidunt, conſequa-

(1) Hinc *Plato*, quum Dionyſio Siciliae Tyranno arcana quaedam myſteria ſcripſiſſet, ut litteras ille abſcindat rogat.

(2) De diſciplina arcani apud Veteres Chriſtianos nonnulla ego diſſerui *Lib. III. De recta Chriſt. quoad Trinit. Fide Cap. VII.*

(3) Philoſophari, pro patientem eſſe in adverſis, apud Chriſtianos Scriptores occurrit, ut apud *Suicerum* videre eſt.

quaris (1). Videris enim deinceps multa huiuſmodi propter malas hominum ſententias advenientia. Aliter enim alius de eodem profecto, & de alio apud ſe ipſum deliberavit; & prope tot ſententiae, quot homines. Qui vero inſtituto philoſophus eſt, non oportet ut efferatur horum omnium nomine, ſed ſibi ipſi (2). Philoſophetur optima; doleat vero congruenter in iis, in quibus alii aliter erraverunt (3). Incolumis mihi vivas, frater in Chriſto ſanctiſſime, & multum ſapias nihili aeſtimando omnia quae heic ſunt, aliis vero te inſtruendo ſemper ad ea, quae permanent.

Venetiis, Elaphebolionis quinta ſtantis anno ſalutis MDXC.

(1) *Lactantio* virtus eſt, *perferendorum malorum fortis ac invicta patientia. Ariſtoteli* effatum illud tribuitur, ἐπειδὴ μὴ γίνεται τὰ πράγματα ὡς βουλόμεθα, δεῖ βούλεσθαι, ὡς γίνεται. *Quandoquidem, ut volumus, res non contingunt; oportet, ut contingunt, eas velle.*

(2) *Tibullus:*

Nil opus invidia eſt, procul abſit gloria vulgi;
Qui ſapit, in tacito gaudeat ille ſinu.

(3) *Lucretius:*

Sed nil dulcius eſt, bene quam munita tenere
Edita doctrina ſapientum templa ſerena,
Deſpicere unde queas alios, paſſimque videre
Errare, atque viam palantis quaerere vitae.

Sanctiſſimo Metropolitae Philadelphiae, in Chriſto maxime honorando Patri Domino Gabrieli Severo, Maximus humilis Epiſcopus Cytherorum, pacem.

INimicos diligere, & bene facere iis, qui oderunt, & pro iis, qui damno adficiunt, orare, & iis, qui praecedenter moleſtiam adtulerunt, auxiliari, non ſecundas obtinere poſt praecipuam apud Chriſtianos fraternam dilectionem, & humanitatem, communis legis gratia, & legislatoris longanimitas, & interna cum Deo ſimilitudo divinorum virorum, qui hanc exercuerunt & omnibus in commune Chriſtianis legem rogarunt, oſtendunt; & noſtri praeſertim magis proprium, quanto propius dilectionis auctori, & legislatori per illius gratiam adpropinquavimus; aliter vero ſe habere eos, qui Chriſtianam vitam profitentur, & multis, & nobis praeſertim, utpote qui ſuperius provecti fuimus, nemo dixerit quantum periculoſum ſit, & adverſae omnino partis. Mihi quidem igitur & antiquitus pax tecum fuit, Sacratiſſime Domine; abſurdum eſt enim, odium aliquod intus latere in iis, qui pacem non ſolum ſibi ipſis, ſed etiam aliis

a Deo

a Deo precantur, & quotidie in primis perſequuntur. Vnum ſiquidem & ſolum mihi, & ante hac, & in praeſens nihil minus, etſi non magis, deprecandum, & odio dignum, in dogmate quomodocumque calumniam pati, etiam apud eos, qui hoc adſidue finxerunt. Si tantum quidem de induſtria malum aliquod facere volui, non innoxius ſim ego apud Deum, quem noſtra Philoſophia (1) colit; & ſi umquam depravare vel cogitavi aureum noſtri dogmatis numiſma; & non ad huius confirmationem, & id, quod univerſis, & mihi conducibile eſt, omnis mihi librorum labor contextus eſt, & ſcopus omnis qualiumcumque ſcriptorum (2) propoſitus: quum maxime ſemper caveam qualemcumque offenſionem ponere animabus ſimpliciorum. Procedit enim ex Deo, & Patre, Spiritus ſecundum Patris vocem in propriam exſiſtentiam, & hypoſtaſim. Procedit vero ex Patre ſimul & Filio in ſanctificationem, & beneficentiam creaturae, & effunditur ex utroque, vel ex Patre per Filium (3); & illa quidem prior in-

(1) Vide ſuperius *pag.* 273.

(2) Praecipue vero eorum, de quibus ſuperius *pag.* 170. 232.

(3) Conſule ſuperius *pag.* 210. Idem eſſe *per filium*, ac *ex filio* procedere luculente demonſtrat *Dionyſ. Petavius Lib. VII. De Trinitate Cap. XI.*

incomprehenſibilis quoad creaturam, & indiſſolubilis proceſſio; haec vero participatio, & tamquam *ad aliquid* facta a ſacris Theologis dicitur: & non oportet confundere inconfuſa; propter quod & iudicatum a me eſt, quod etiam enarratum fuit. Ita igitur & me habui, Deo auxiliante, & me habeo, & uſque ad ultimum ſpiritum me habuero: vel non viderim ſolem orientem. Si vero alii aliter in iis, quae me adtinent ſenſerunt, & dictioni alicui, & ſoli, tenaciter inhaerent, rationabiliter quidem prolatae, non caute vero interpretatae, & aliquid etiam ad aequivocationem confundunt (etenim & aliis noſtrorum maiorum iſthuc ipſum aliquando accidit) ad univerſam vero materiae tractationem, & quae ſequuntur, tacent, & qualiſcumque noſtrorum Scriptorum diligentiae curam non habent, inſons quidem ego ſum. De iis, qui Deo rationem reddent, nihil dicam, ne forte faſtidioſum ſit illis, (1) qui iudicium eorum quae ab ipſis facta ſunt, & quae uſque ad exilem intelligentiam

(1) Puto heic intelligi Epiſcopos, qui in *Margunii* fidem & ſententiam inquirebant, nam in quatuor vel quinque Synhodis eius cauſſa diſcuſſa fuit, & ter quidem abſolutus eſt, ut ipſe dicit in Epiſtola ad Synodum Conſtantinopolitanam, inferius producenda.

tiam procedunt , excipiunt , atque retribuunt ; ſive ſententiam mutaverint, & meliores ipſi ſe ipſis , propriaeque , & multorum ſalutis cauſa, facti fuerint, & noſtram animam fruſtra obpugnare non perſeveraverint , & carbones ſibi ipſis ſecundum illud Scripturae adcumulare,ne alterutrum omnino ignorantes patiantur. Simus vero aliquando per ipſam Pietatem ipſi noſtrum , & praeſtantioris ac divinioris partis ; & quae omnibus ſimpliciter utiliora ſunt ſponte operemur , (ne pedes , quod paradoxum & ſimul abſurdum , caput dirigant) & hi quidem qui dilectionem docent, & hoc ipſo eorum, qui ſecundum hanc vivere profitentur , & aliis ad eam praeire adſeverant, magiſtri eſſe videntur. In hoc enim ſolo commode de nobis magnifice ſenſerimus. Inſuper & admonitioni noſtri Principis (1) obediverimus ,& confuderimus dilectionis inimicum, & boni aliis exemplar fuerimus . Ita noverunt, qui reſpiciunt ad pacis Principem , (2) accedere congruenter , & reconciliari iis , qui obpugnant,& expugnantur, & ex inſultu ho-

 ſtis,

(1) Venetum Senatum intelligere videtur ; nam & *Gabriel Severus* Venetiis morabatur, ut ſuperius vidimus *pag.* 235. & quidem uſque ab anno 1578.

(2) *Chriſtum* ſcilicet, qui *Princeps pacis* ab *Eſaia* praedicatur.

ſtis, ita, ut contingit, adfecti ſunt. Nimirum mihi ita ſubgerit conſcientia, & Deus (audeo enim dicere) admovit. Ipſe vero diiudicaveris apud te ipſum, & navim rationis adpellens, & ſapientioribus mentis perſcrutationibus omne ruminans, & niſi aliud, ſaltem animabus periclitantibus parces, quibus neque mundus univerſus aequivalet (1). Quum enim & ipſe ad hoc unum reſpexeris, per ipſam Pietatem omnia ſecunda prae hoc reputavi. Det vero tibi Deus ſimul & mihi meliora eligere, & omnibus Chriſtianis utilia; & utrique noſtrum propitius ſit. Vale, Sacratiſſime Domine, & pacem nuncians, pacis dilectiones retine; etenim melior & minor cauſa, ſecundum Pindaricum. Ex noſtro domicilio (2) anno ab Incarnatione Servatoris MDXC. Boedromionis tertia deſinentis.

San-

(1) *Chriſtus* in *Evangelio* : *Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, animae vero ſuae detrimentum patiatur?*

(2) Ex domicilio ſcilicet, quod Venetiis habebat; nam hoc anno & inſequentibus iam Venetiis commorabatur. Non videtur *Margunius* Venetiis in Monaſterio S. Georgii habitaſſe, forte ob diſcordias cum aliis Monachis. Conſule ſuperius *pag.* 242.

Sancto & ſapienti Hieromonacho Domino Meletio Blaſto Maximus Margunius humilis Epiſcopus Cytherorum, bene agere.

EGo & tibi gratulor per Sermones (1) de incremento honeſtorum Sacerdotum, (2 in Chriſto frater Meleti, & patriae, quoniam te, qui talis es, praeter alios ditata eſt, viro ſane & tibi ipſi, & accedentibus, utilia, & ea quae ad ſalutem quam maxime conferunt, procurante una, & meditante adſidue. Ita fruar amicitia, quae nobis intercedit, & ſtudio circa ſacram

(1) Νὴ τȣ̃ς λόγȣς, iurisiurandi genus, quod forte *Socrati* etiam non diſplicuiſſet, per Anſerem, & Canem deierare ſolito.

(2) Τῇ τῶν καλῶν ἐπιδόσει ἱερεων. Calogeros, *Henr. Hilarius*, & *David. Chytraeus*, & *Iac. Felbavius* dictos putant, quaſi καλȣ̀ς ἱερέας *honeſtos Sacerdotes*, vel καλȣ̀ς γέροντας quod quidem probabilius, ut cenſet *Croiſius* quoque; nam Calogeri vocantur etiam Monachi, qui Sacerdotes non ſunt. Haec compellatio honorifica eſt, ut apud Venetos *Caro veccio*. Principio ita vocabant Monachos, & Monachas καλογρίας, aetatiš provectioris, a pulcra ſenectute, ut confirmat *Suicerus* ſequutus *Meurſium*; mox vero nomen ad quoſvis extendi coepit, nulla aetatis habita ratione.

cram ſalutem, ut neſcio utrum te ob huiuſmodi propoſitum laudaverim, vel eos qui in patria ſunt, ob proclivitatem quae iis ad honeſta innata eſt, vel ob utrumque, quod utique facio, & te & illos laudando vehementer. Sed enim quod fieri conſuevit, concreverunt aliquando virtutibus vitia, alienum quemdam circumponentia vultum; & invitos, & probos artibus quibusdam improviſis poſt ſe ipſa trahere conſueverunt, ſive ex illis ipſis qui tales capiunt occaſiones, & virtutibus non ut decet utuntur; ſive ex iis, qui extrinſecus infeſti ſunt: ſive daemon aliquis fuerit huiuſmodi; ſive incorporeus aliquis loliorum ſator, ut & ſpina una pullulet cum floribus, quod moleſtum maxime eſt. Horum ego primi innoxium te eſſe omnino iudicavi. Secundi vero te quidem, ſed non principaliter hoc praeeligentem, quod tibi fortaſſe conciliabit una cum tempore virtus, quod valde invidioſum eſt. Sed ſiquidem hoc, auxiliari eo, quem fers, Spiritu uſus fueris ad crimen tollendum, & te ipſum in hoc ab adparenti crimine, & illos ab adverſo ſpiritu, quo adprehenduntur, liberandum. Si vero & ipſe contuleris aliquid ad ſecundum, haud utique praeveneris te ipſum prius curans, ut habeat curationem, & ſuper

ſuper te & apud alios , non vulnus hoc, vel promiſcuam quamdam naturam convenienter hoc exiſtimantes. Multos enim non ex iis, quae dicunt, ſed ex iis quae faciunt potius, quales utique ipſi ſint in ſeipſis arguimus. Praeſertim vero Evangelicis diſciplinis, ut & ipſe noſti, hoc perficitur. Ego quidem igitur progredi ad praeſtantiora, & diviniora, quantum non utique aliquis dixerit, deſidero. Quidni enim? ubi ex hoc tantae multitudinis, quae bonis initiatur, dependet ſalus? Et ſane hoc, ſiquid huiuſmodi ita evenerit invidia nequiſſimi daemonis. Et tibi homini exſiſtenti parum adhaeſit mali ablatio. Haec tibi ex benevolentiſſima patris te praeeuntis ſententia ſcribere animum induxi. Ipſe vero noſtrum deſiderium in honeſto fundans reſcripſeris, & ulterius meam animam tuis officiis oblectatus fueris, quo nihil omnino mihi fuerit gratius. Incolumem te tueatur Dominus anima & corpore, frater in Chriſto dilectiſſime. Venetiis, Decembris ſexta deſinentis, anno ſalutis MDLXXXX.

Sanctiſſimo Archiepiſcopo Philadelphiae Maximus Epiſcopus Cytherorum, pacem a Chriſto.

EA quae ad dogma adtinent, & alias ab iis, qui talia crediderunt, ſapienpientiſſime, & in praeſens nihil minus, diſquiſita ſunt, Sacratiſſime Domine, & nihil ſecum inferre intricatum, & implexum iis, qui non eligunt calumniari ea, quae ad fallaciam non tendunt, liquido patuit; niſi quis omnino ſtupiditate aegrotet, & inſanabili opinione; & contra ſtimulum calcitrare eligat. Ita vero calumnia ſufficienter arguatur. Gloriari vero, ut ita dicam, aliundecumque, ad Deum, opportunius vel exinde coniectet. Dixerit vero aliquis quod non ſolum capiti praecipienti, & condemnanti, ſed & aliis multis circa ipſum exſiſtentibus, pariter & ſemel & bis obſtet, vel ſi tibi opus eſt, ut videtur, trinitatis numero, quo neque in hoc dogmate contriſteris. Ego vero & gloriatus fuerim in iis dogmatibus, in quibus educatus ſum, & in hoc ſolum magnifice de me ſentiens ſemper reputabor. Conveniens tibi revera eſt & fucus, & facilitas ad pacem, & ſi, Optime, effingens haec enuntiare ignoraſti. Et ut aiunt,

aiunt, argumentum eorum, quae facta fuerunt, exitus. (1) Mihi enim & omnino, quae erga te olim per te fuit, inimicitia deleta iam & exterſa eſt; quaſi numquam fuiſſet, & ſane iure merito permanſiſſet; & eius loco inducta fuiſſet a me dilectio pura & religio. A te vero abſconditum fuit venenum, quod in tempore & ſine ratione effundendum erat: vel quid aliud ſibi voluit meas litteras, clam quidem ſaepe, & inter multos, & tamdem quaſi per ſignum aliquod, oſtendere? Vides tibi ad crimen recriminationes adferri? Oppone ante cauſam haec iis, quae a te deſcendunt, & velut in trutina diligenter expende, & inferes omnino, iuſta faciens, contra te ipſum condemnationem. Haec tibi a nobis inter te & me ſolos dicta ſunto, & noveris, ſermones rationabiles ſuper illud, quod nos adtinet, ius, etſi alias nullius pretii homines ſimus nos non deficere. Fiat vero ut tu aliter aliquando perſuaſus melioris partis ſis. Videris enim ex iis, quae ſcribis, conſtanter te habere in iis quae ſemel, & quomodo-

cum-

(1) *Ovidius:*

—— Careat ſucceſſibus opto

Quiſquis ab eventu facta notanda putat.

cumque apud te ipſum deliberaviſti. Noſti vero benevolentias poſſe admodum iudicare ſuffragia. Noſce te ipſum, o generoſe. Generoſus vero fueris in iis, quae Deo placent. Quid vero rurſus latenter a te ea, quae pacem ſpectant, ſubdole cogitantur? Time Deum, ſi minus divinitus impulſam religioſam Synodum (1), & pulcra immutatione immutare. Etenim tibi in hoc, ſi eligas, dextera Domini extenſa eſt. Ego vero praeter hoc unum, ut praecedenter dixi, tecum ſincere pacem habui. Etenim Deus neque in futuro Sanctum Spiritum blaſphemantibus facile reconciliabilis erit. Parce vero & tibi & mihi, & animabus, quae calumniam & offenſionem patiuntur, & ut oportet, pacem tibi ſerva & aliis. Vale Sacratiſſime Domine. Ex aedibus noſtris anno ab Incarnatione MDLXXXXI.

Idem

(1) *Marguntus* accuſatus erroris circa dogma de Spiritu Sancto a tribus Synodis abſolutus fuerat, ut inferius patebit; heic indicare videtur Synodum proximiorem. Quarta vel quinta contra eum Synodus anno inſequenti Conſtantinopoli congregata eſt.

Idem Eidem.

ABſtulit mihi praeter alia agriculturam daemon, ſacratiſſime anime Meleti, & aratrum propter otium evanidum fuit, & pratum apud me neque per ſomnium; ſiccitas vero omnino, & ariditas, & exſiccatio, & ſpinis plena ſolum ſeges, & inter cetera, iucunda viridaria a tuo ſacro capite ſapienter omnino excogitata, & odor florum, & omnis fructus, interiit. Si ex tuis arguis mea, fructiferis, & ſuavibus rebus ad ſatietatem te oblectans, transferas quomodocumque etiam in nos, inducaſque gratiam aquae vitalis, qua quomodocumque irrigemur. Excipio tui moris humanitatem, & magis, quia aemulatione eorum, qui eiusdem artis ſunt, adficeris. Abundant illi magis quam vicini; & aliquid agrorum non ſuorum ſibi vindicant, & ſi in iis facere fuiſſet ut pluvia etiam non indifferenter infunderetur, & hoc ſane auſi fuiſſent. Et propter hoc convenienter quis admiretur tuum propoſitum, & ambitionem ultro & benevole donandi. Nimirum onus iniunxerunt iam apud me, & quatenus videtur ad fructuum proventum praeparatio fit, niſi tantum ipſe laſſeris affatim diſtribuere aquam & ir-

& irrigare adſidue ſulcos. Sed non mihi talis ſit; non minus enim vel prius infelices permanebamus. Erit vero & tibi plus a noſtro inopi agello pro iis beneficiis, quibus a te adfecti ſumus, perceptio fructus rari forte alicuius generis plantarum. Alia enim aliis luxuriantur plantis viridaria; etenim iam & haec ex tua cauſa nos auſi ſumus noſtra vocare. Incolumis mihi vivas anima, & corpore, hominum ſanctiſſime & ſapientiſſime, & iugiter fluentibus canalibus gratiae Spiritus irrigeris. Venetiis. Metagitnionis quarta deſinentis anno Salutis MDXCI.

Idem Eidem.

VIx tamdem Theophylacti Commentaria in Sacros Evangeliſtas offendimus, o mihi ſacrum & amicum caput Meleti. Rara etenim huiuſmodi opera ſunt apud quos proſtant venalia. Cauſſa vero cur rara in praeſens inveniantur, adventores ſunt. Quaeſito ſane fruare, tibi

(1) Nulla Saeculo XVI Conſtantinopoli Graecorum Chalcographia fuiſſe tradit *Steph. Gerlachius*; immo

tibique ipſi ſeorſim, & aliis in communi, propter praeconium ſacrorum eloquiorum, utilis exſiſtens pro virili portione. Reddes vero pretium huius libri ei, qui hunc tibi tradet. Si vero & alius rei indiges, iube. Nos enim non ſegnes erimus quoad fieri poteſt ad tibi obtemperandum, neque ipſe hiſce expers eris, quum merearis ſervitium accipere, & maxime a quibusdam; praecipue vero ab iis, a quibus vehementer diligeris, propter tuam morum probitatem, & ſtudiorum incrementum in rebus honeſtis. Addam vero etiam quod neque mediocri-

T ter

immo dixerim nulla fuiſſe in tota Graecia: nam quum *Nicodemus Mataxas*, Archiepiſcopus Cephaleniae, ad quem ſcribit *Dionyſius Catelianus* ſuperius *pag*. 74. & 90. ex Batavia characteres Byzantium advexiſſet, & quaedam typis in lucem emiſiſſet, Supremi Vezirii indignationem expertus eſt, & opus illud utile intermittere coactus, de quo videndi *Papadopolus Hiſt. Gymnaſ. Patavini Par. II. Cap. XLII. num. CXCVI.* & *Aymonus in Monum. Authent. Ecclеſ. Graecae in Praefat.* Quare Graeci libros formis deſcribere, formis iam deſcriptos, Venetiis quaerere, omnino cogebantur. Tamdem ſub exitum ſaeculi ſuperioris *Anthimus* Archiepiſcopus Hungaro-Valachiae Typographiam Graecam, Latinam, & Arabicam, Bucoreſti inſtituit, ex qua multa Graecorum opera, lucubrationeſque prodierunt, ut videre eſt apud *Antonium Clarium* in *Hiſtoria Revolutionum Valachiae*.

ter diligentes e contra diligis. Incolumis mihi conſerveris, ſacrum & praecipue dilectum mihi caput, & eos, qui tibi amicitia iuncti ſunt, ſalutatione etiam meo nomine dignari non dedigneris.

Venetiis, Boedromionis ſexta ſtantis anno Salutis MDLXXXXI.

Idem Eidem.

PArum abfuit quin tuis me litteris volucrem reddideris; & multo terra ipſa ſublimior evaſiſſem niſi fabulis celebratum Icari caſum pertimuiſſem. Quid nam, mihi facer & deſideratiſſime anime Meleti, ita, ut videtur, rigide animam meam quomodocumque demittere elegiſti, & humilem quamdam opinionem virili meae ſententiae addidiſti? Quomodo enim homo quum ſim humanum ipſe non patiar? Vtrum igitur per Iovem amicabilem tuum amorem excipiam, & eos, qui veluti ſummis labris non convenientibus me laudibus efferunt, vel procul amandem ad eos, qui aequiora de ſe ipſis non ſentiunt, periculum congruum evitans, ſis noſtrarum rerum incorruptus iudex; vel proclivius te habendo apud

apud eos, qui haec amant, niſi ſuffragia, etenim decens, corrumpere tibi iucundius? Recedant haec a tua ſacra anima, vel ego tuo amore numquam adiutus fuerim, parum tibi in huiuſmodi ſubditus. Itaque in poſterum de me moderatius ſenti, & ſcribe, & mihi quaeſo conſideratius ignoſcas. Illud quidem, ne ſi in me inquiratur, minor inveniar iudicio quod a te prolatum eſt, atque ita multum debeam riſum viris, qui recte iudicare noverunt. Hoc vero, ne & ipſe forte adulatoris accuſationem patiaris, vel re ipſa arguaris tamquam nos irridens, praeſertim apud eos, qui calumniari modis omnibus, ſtudent. Haec a te Lynceo acutius, ſi quo modo videre perſpicacioribus tuas litteras licuit, quod ne ipſe quidem Momus carperet; ita in his quae recta ſunt neque quomodocumque declinat, neque ad alterum extremorum periculoſe declinavit. Ita ſane & de te ipſo, & de nobis ſimul perſuaſus ſis, & amorem erga nos adſidue ſuccende. Vtique per Sermones ipſos mutuis, & frequentibus literis ne abſtineto, ſacer & dilectiſſime mihi anime, & ſapientiſſime Meleti. Vale, & tibi honeſtum amorem retribuentes meo nomine ſalutaveris in primis Sacros Benedictum

 Epiſco-

Epiſcopulum (1) & Matthaeum qui cognominatur Bitzimenus. Venetiis Scirrhophorionis nona deſinentis anno Salutis MD LXXXXI.

(1) Num hic frater, vel adgnatus, *Antonii Epiſcopuli* Protopſaltis Cydoniae, qui ſcripſit Codicem Ioannis Canabutze de Samothrace, nunc Regium; anno MDLXIX. ut apud *Montfauconium Lib. I. Palaeograph. Graecae Cap. VIII.* videre eſt?

Philippo Siminelo, fratri in Chriſto dilectiſſimo & diſertiſſimo, Maximus humilis Epiſcopus Cytherorum, bene agere.

ET praeſens iam tuum circa honeſta ſtudium noveram, fratrum mihi dilectiſſime Philippe; & abſens ob ea, quae audio ab iis, qui res tuas narrant, omnino te diligo; & ſi fieri potuiſſet ambabus ulnis amplexatus fuiſſem, quem ſpiritu intelligendo complector. Nimirum id, quod poſſum, facere quomodocumque adducor, inſitam tibi laudabilem meditationis ſcintillam, utilibus facibus tuis redaccendens. Si vero & id minus eſt tua dignitate & placito, id omne adſcripſeris non promtitudinis, ſed potentiae, defectui. Munus vero

vero parvum (1) eſt, ſi ſimilibus compares; non parvum autem rurſus, ſi reconditas obſervationes inſpicere elegeris; & non infructuoſa tibi erit contemplatio, dummodo diligentius in ſtudium incumbas. Virorum enim omnino generoſorum, qui ſtudium circa Grammatica oſtenderunt, hoc opus eſt. Theodorus Orentius beatae memoriae huiuſmodi erat, nemini ſecundus illorum, qui noſtris temporibus primas obtinent, & in liberalibus artibus, magis autem primariis, omnibus certans. Vtere autem dono, vel potius pro arbitratu hoc fruere, & propter tuum honeſtum ſtudium diſciplinarum, & propter amicitiam quae mihi pridem cum tuo patruo interceſſit, (2) Nicolao videlicet nobiliſſimo, quam ego ut pretioſum aliquid in ſinu conſervabam; ipſe vero beneficiis me cumulabat. Non minus enim tibi boni, & laudabilis propoſiti, quam ipſi circa me ſtudii

(1) Librum aliquem ad Grammaticam ſpectantem *Philippo Siminelo*, Viro erudito, *Margunius* dono miſiſſe videtur.

(2) Θεῖος & patruum, & avunculum ſignificat, Italice Greca origine *Zio*. Ita autem dictum ferunt, quaſi *divinum*, in reverentiae ſignum. Veteres enim Patrem *θεὸν Deum* veneranter adpellabant, Patris autem fratres θείους, hoc eſt, *divinos* nuncupabant.

dii debitorem me ipſum eſſe cognovi. Vale, & ſi quo tibi opus fuerit eorum, quae in noſtra poteſtate ſunt, impera.

Venetiis. Boedromionis nona deſinentis anno Salutis MDLXXXXI.

Sancto & ſapienti Hieromonacho Domino Meletio Blaſto Maximus humilis Epiſcopus Cytherorum, bene agere.

MAgnum aliquid de me ipſo ſentire prope periclitor, quum te rerum mearum laudatorem nactus ſim, qui quidem huiuſmodi a me reputatur, apud alios vero, qui iudicii legibus amicitiam adiiciunt, etiam conveniens aliquod poſſidet. Ego igitur multas habeo tibi gratias, ſacrum & dilectum mihi caput, ſanctiſſime frater Meleti, propter laudes, quibus mea fers, non propter laudes ipſas, non enim ita umquam inſanierim, quaſi mea ipſe plurimi faciam, ſed quia hae ab ſincera amicitia pendent; quae quum infirma ſit ad probandum amorem, qui in corde latet, complicare aliquando ea, quae ſunt, cum his, quae non ſunt, didicit. Hic igitur occultam deſiderii ſcintillam revelans, & fervidum amorem cuſtodiens, etiam apud eos, qui recte iudicare noverunt, in huiuſmo-

iuſmodi diſpoſitione veniam meretur. Ipſe vero, velut non praeeligens cauſam, ſubſtineas cavillationem aliquam apud eos, qui conſcientiam tuam, ſicut ego, non noverunt, qui ſenſui tantum attendere eligentes, & volentes eſſe quod non oportet, intelligibiliter aliquod praetercurrunt, & calicis aſperitati inhaerentes, latentem intus dulcedinem ne minimum quidem guſtant. Oportet vero etiam, quum amice epiſtola ſcribitur propter eos, qui ultra quam opus eſt iudicii exactiſſimi ſunt, menſuram ſervare; minor enim, dicat quis, culpa ſequetur. Alias vero non aliquod taciturnum epiſtola eſt, ſed etſi ſtatim lateat, publica certe temporis lapſu fieri conſuevit. Sentiunt vero alii aliter, ut de negotiis, ita de litteris. Et oportet in hac parte conſiderate ſe habere, & tamquam aliquem multis oculis inſtructum, qui in nulla qualicumque re offenſurus eſt. Varium igitur te eſſe oportet circa ea, quae ad alios pertinent; in litteris propter ſupervenientes neceſſitates querelarum; in iis vero, quae ad me pertinent, & tacens & loquens, qualis quidem eris, talis profecto reputatus fueris. Abſtines vero ex aequo amoris reciprocationem; etſi enim nos pauperes ſimus quoad alia, quoad amorem quidem, ne-

mini primas, quatenus in nobis eſt, huc uſque conceſſimus. Oblectaſti me ficuum ſpeculatione, & quidem tantum, ut longi cachinni apud me protenſi ſint, utque ego iis, qui aderant, etenim aderant lectioni non pauci, furore quodam correptus fuiſſe parum quin viderer abeſſet. Sed ne per pietatem ipſam, ne huiuſmodi inutilium quaeſtionum curioſiores iudices ſedeamus, ex quibus nihil aliud quam lites quaedam, & pugnae, & irreconciliabiles inimicitiae conſequi ſolent; quaecumque vero gravia, & animo utilia, haec proponite ad invicem, & pacate ſimul ac pie reſolvite. Recte me cavillaris propter pugnam cum Sacratiſſimo (1) Sed ego quidem, ut congruum eſt, quidni enim? proteſtor mihi ipſi & illi per Deum meliora diſquirere. Sint vero haec nobis etiam per tuas Deo acceptabiles preces, quae conferant aliquid ad meliorem conſtitutionem. Opera Mercurii Triſmegiſti (2), & Theodoreti in dubia divinae Scripturae, difficilia inventu ſunt, & tanto magis, quan-

(1) Hoc eſt cum *Gabriele Severo* Archiepiſcopo Philadelphiae, cum quo iam diſcordia, & ſimultas ei intercedebant.

(2) Opera quae ſub *Mercurii Triſmegiſti* nomine circumferuntur, ſubpoſititia ſunt.

quanto alibi excuſa ſunt; verumtamen & horum cura nobis erit, ſi quo modo ea offendamus. Sanus mihi vivas, frater in Chriſto ſanctiſſime, & ſapientiſſime, & illuſtriſſimo, & magnifico Andreae Cornaro (1), meo nomine hoc ipſum, manus oſculatus, iube. Veneriis Munychionis xv. anno Salutis MDXCII.

(1) Num hic Cretae Praeſes tunc temporis erat?

Idem Eidem.

NVnc quia Chriſti erga homines amore deſierunt mala, quae potius mala videntur, quum revera bona ſint, ſucceſſerunt vero bona (1), & dilectiſſimus nobis Meletius, & peramabilis, curam noſtri aliquam habebit, quomodocunque & gratum aliquid, omnino nos comiter ambibit. Quid vero nobis unquam Athanaſio (2) viro undequaque doctiſſimo (illum enim exiſtimamus videre legentes, & divinis laudibus eius opera ſe-

(1) Procella contra *Margunium* mota aliquatenus iam interquieviſſe videbatur: vel ſaltem ipſe pacatius iam vivere quum Venetiis Patavium ſe contuliſſet. Vide inferius Epiſtolam ad Synhodum CP.

(2) D. *Athanaſius* Patriarcha Alexandrinus, cuius nomen longi carminis inſtar eſt & elogii.

ferentes) gratius unquam fuerit? Exſpectamus vero hoc a deſideratiſſima nobis anima, Meleti, & ſi quid forte eiusdem generis, ſimul adtrahitur. Auſi vero ſumus neque ſine ratione talia; etenim cognoſcimus praeter alia bona tua, & liberalitatem viri, & amorem erga nos omnino ferventem. (1) Ne vero ſuperemur dilectione, e contra pete, ſi qua & a nobis refundi poſſunt; ad ea enim nos & pridem praeparati ſumus, & paravimus maxima alacritate nos ipſos, & tantum iubeat Meletius, & opera ſequentur. Vale ſacrum, & amatiſſimum, una vero & amiciſſimum mihi caput, & permane mundans ſectione divini ſermonis ab intelligibilibus ſpinis ſegetem ſpiritalem Chriſti, & inundans continuis irrigationibus & abundantibus laticibus, ut ita in poſterum vites poſſibilem animae vexationem. Patavii, voluntarii propter ſcandalorum fugam noſtri exilii, ſecunda deſinentis Pyanepſionis, anno ab Incarnatione Servatoris noſtri MDLXXXXII.

Io.

(2) Opera D. *Athanaſii* a *Meletio* petiiſſe videtur *Margunius*.

(1) Itaque *Margunius* hoc eodem anno Venetiis Patavium profectus eſt, quum Menſe Munychione Venetiis adhuc moraretur, ut ex praecedenti Epiſtola adparet.

IO. LAMIO INTERPRETE.

Ieremias (1) *Dei miſericordia Archie-piſcopus Conſtantinopoleos, Novae Romae,* (2) *& Oecumenicus* (3) *Patriarcha.*

DEi amantiſſime Epiſcope Cytherorum, gratia ſit, & pax, & miſericordia Tuo-Dei-amori a Deo omnipotente (4). Curae fuit in praeſens, o Dei amantiſſimo-

(1) Pluria de *Ieremia II.* Patriarcha CP. ſuperius *pag.* 171. & ſequentibus, commentati ſumus; ſed quum ea in magnis temporis anguſtiis ſcripſerimus, nec omnes libri neceſſarii ad manus eſſent, alia quaedam heic de eodem opportune litteris mandabimus. Et primum quidem apud *Martinum Cruſium Lib. IV. Turco Graeciae pag.* 322. occurrit Epiſtola a *Ieremia*, dum adhuc Lariſſae Metropolita erat, Patriarchae CP. ſcripta, qua ei commendat priorem filiam cuiusdam nomine *Apoſtoli*, ut hereditatem paternam, quae iure ei debebatur, conſequi poſſit, eius intercedente auctoritate. Poſtquam vero iam Patriarcha erat, & ante annum 1580. vel hoc ipſo anno, tres eiusdem Epiſtolae habentur apud *Cruſium* laudatum citato opere, *pag.* 291. *& ſeqq.* quae ſcriptae ſunt, una, Sacerdotibus pagi *Aſomatorum*, qui non longe a CP. diſtat, in Propontide ſitus, qua eis iniungit ut de cauſſa inter

inter *Georgium Moralem* Anagnoſtam & eius uxorem vertente cognoſcant, & uxorem ad officium redire etiam per excommunicationem cogant; altera ſcripta eſt Epiſcopo Metrorum, & Athyrorum, & eius Clericis, ut *Phocae* Lampadario Eccleſiae CP. reddenda curent Aſpra 500. a vidua cuiusdam *Theodori Zaromeni*, etiam excommunicatione inrogata, ſi probatum debitum ea ſolvere detrectaverit. Tertia ſcripta eſt *Theodoſio Zygomalae* Protonotario Eccleſiae CP. qui una cum Presbytero *Sabbatiano* Exarchus in inſulas emiſſus fuerat ad colligendas pecunias pro tributo ſolvendo, anno 1576. Quae vero ſtrictim de eius in Patriarcham electione, ſtudiis, contra ſimoniam decretis, & aedificiis, ſuperius *pag.* 171. percurrimus, latius explicatiusque narrata videri poſſunt apud *Manuelem Malaxum* in *Hiſtor. Eccleſ.* apud *Cruſium* in *Turco-Grecia Lib. II.* nam brevitatis gratia ea nunc omittimus. Anno 1579. menſe Thargelione *Andreas Loudanus* Eques D. Stephani, & Regiae ſcientiae praeceptor, Venetiis *Ieremiae* Patriarchae ſcribit ſe in animum induxiſſe librum diligenter & exacte ſcribere, quo utriuſque Eccleſiae, Occidentalis ſcilicet & Orientalis, unitio facile conciliaretur, ut tot contentiones inter Latinos & Graecos de medio tamdem tollantur; adeoque ab eo petit Synodicum, & illi adſutum Tomum ſub *Maximo* Patriarcha, eius praedeceſſore; multumque *reverendiſſimum & divinum Archiepiſcopum Philadelphiae* a probitate, prudentia, & eloquentia commendat. Hoc quidem anno, ut ſuperius *pag.* 184. diximus, *Ieremias* depoſitus fuit, & *Metrophanes* reſtitutus; quod quidem factum a quibusdam non ſatis certe perhibetur arte Lutheranorum apud Turcas eum calumniantium,

quod

quod eorum confeſſionem probare is noluiſſet, ut apud *Spondanum* ad hunc annum §. XXII. videre eſt. Sane in Actis cum ipſo ab iis habitis exſtat ipſorum ad illum depoſitum Epiſtola die S. Ioannis Baptiſtae anno inſequenti ſcripta, qua dolere ſe eius vicem teſtantur. Anno 1583. *Gabriel Severus* Archiepiſcopus Philadelphiae *Ieremiae* ſcripſit Epiſtolam, qua queritur litteras nomine Patriarchae ſcriptas a *Sapientibus* ut vocant (*οἱ καλούμενοι σοφοὶ*) Sereniſſimi Senatus ſibi traditas fuiſſe, quas quidem docet priuſquam ipſe Graece acciperet, in Latinam linguam converſas fuiſſe, & Romam uſque tranſmiſſas. In iis autem *Gabriel* tamquam *abſurdorum operum plenus* traducebatur; quare *Ieremiam*, cui pſeudonymas, ut ipſe putat, litteras illas mittit, rogat ut ſibi reſcribens hanc ſibi ſtructam calumniam diſſolvat ac difflet. Vt autem ex laudato *Spondano* diſtinctius de iis, quae circa Calendarium Gregorianum ab *Ieremia* geſta ſunt diſſeratur, eius verba in medium proferemus: *Quum Stephanus Rex Poloniae in tanta vaſtitate Provinciarum ac varietate Nationum, & rituum, nec non ſchiſmatum, & haereſum, Calendarium Gregorianum ab omnibus accipi vellet, reſtitere vehementer Rutheni ipſi ſubiecti, qui Ritum Graecorum ſervant, quos concepti ſchiſmatis tumor, & altiſſima Theologiae, ac bonarum diſciplinarum, linguaeque Graecae ignoratio mirifice ſuis conſuetudinibus implicitos tenebat. Itaque miſere Conſtantinopolim: ubi evocato Alexandrino Patriarcha, Ieremias Conſtantinopolitanus Synodicam Epiſtolam ſcripſit, qua Ruthenis, & Graecis interdicebat, ne Gregorianam emendationem admitterent; hac potiſſimum ratione ductus, quod ſibi nondum Latinorum argumenta & rationes innotuiſſe diceret. Factum*

ctum vero poſtea eſt , ut ſive rationibus Ducis Oſtroviae Ruthenorum primarii ad Ieremiam miſſis , ſeu ſummi Pontificis diligentia ; ut idem Ieremias veritate victus , non ſolum ei adſenſerit , verum etiam legationem ad urbem miſerit , qua ſe id ipſum inter ſuos curaturum polliceretur . Quod in Annalibus Gregorii diſtinctius explicatur , quum dicitur , Gregorium ad Ieremiam miſiſſe duos Oratores cum litteris , & muneribus : hos illum a Gallo & Veneto Oratoribus , in Porta Amuratis reſidentibus , ad ſe adductos cum honore excepiſſe ; propenſaeque in Latinam Eccleſiam voluntatis ſpecimen dediſſe , reſcriptis reverenti animo ad Pontificem litteris , atque una miſſis nonnullis Sacris Reliquiis : ac pollicitum eſſe ſe poſt aliquod tempus illius Calendarium recepturum , Ruthenoſque , & alios Graecos ad idem faciendum hortaturum . Sed contigit , ut non diu poſt ſceleſti cuiusdam viri calumniis apud Turcos oppreſſus (inſtigantibus forte iiſdem , qui primam eius expulſionem operati fuerant) in carcerem coniectus fuerit , ubi Gregorii Pontificis benignitatem expertus ſit : cuius hortatione Orator Gallicus magnis precibus effecit , ut poena capitis in eum decreta in mitiorem deportationis verteretur : quem ſi potuiſſet vindicare Gregorius , inter Cardinales retuliſſet . Anno 1590. *Gabriel Severus* Venetiis *Ieremiae* pariter ſcribit multa de *Maximo Margunio* querens , quod a ſe beneficiis adfectus ſe calumniari non deſinat ; & eius libellum memorat *contra quemdam fratrem* κατά τινος φράρυ ſcriptum , irridens ſimul & carpens ; aitque *Margunium* , dum *Additionem* Symbolo factam defendere vult , adeo a veritate diſcedere , ut nec cum Graecis , neque cum Latinis conſentiat : Sed triduo ante , die ſcilicet XII. Septembris

aliam

aliam Epiſtolam *Gabriel* Patriarchae ſcripſerat eadem prope continentem, & in qua *Margunius* Sycophanta, & *κρητίζειν* audit; ex quibus tamen Epiſtolis facile intelligitur tunc Conſtantinopoli Synodum habitam fuiſſe; & quidem hoc eodem anno *Ieremias*, & Synodus CP. menſis Novembris IV. *Gabrieli* ſcribunt, ut iuxta canonum decreta intra ſex menſium ſpatium ad ſuam Eparchiam & Metropolin Lydiae Philadelphiam redeat, ne ii populi ſuo vero Paſtore & Pontifice amplius deſtituantur; ſin minus, ſupplicet ut ex ea ſede deponatur, inque eius locum alter legitimus paſtor ſubſtituatur. Subſcriptiones ſunt inſequentes:

Humilis Metropolita Cyzici Damaſcenus.
Heracleae Germanus.
Metropolita Philippopoleos.
Hadrianopolis Calliſtus.
Pruſae Neophytus.
Tornovi Dionyſius.
Vadinae Theophanes.

Huic Epiſtolae *Gabriel* die XII. Ianuarii reſpondit, dixitque ſe vehementer ſuo gregi praeeſſe deſiderare, ſed res ſuas eo loco eſſe, ut ſibi id non permittant, ut ipſi Patriarchae notum erat, *καὶ τοῖς τοῦ ὠκεανοῦ ἐπέκεινα;* quin Graecorum, qui Venetiis ſunt, a *Chriſtianiſſimo*, *& Sereniſſimo Dominio Venetorum* curam ſibi demandatam fuiſſe; quare & ſi alium Philadelphiae Metropolitam ordinaverint, ipſe tamen ſemper ſe talem vocare non veriturum; quod & in alia Epiſtola ad eumdem Patriarcham confirmat, & ne *ſub petra ſcorpius lateat* timere ſe dicit. Verum ante haſce litteras hoc eodem anno duas alias Epiſtolas *Severus* Patriarchae ſcripſiſſe videtur, quarum prima ſcripta eſt die XII.

Septem-

Septembris, & miſſa per *Conſtantinum Chryſobergem* in qua quaedam habentur de *Petro* Voevoda, ut videtur, Moldovalachiae, cuius generum Dominum Veſtiarium fuiſſe in alia Epiſtola indicat. In alia autem ſe defendit, & excuſat, quod ei parere non poſſit in eo, ut Patriarchae mentio fiat in ſuo praeclaro Templo praeſentibus aliis Pontificibus, quum id contra Canones & conſuetudinem ſit, & praecipue quum templum illud *Stauropegium* non ſit, hoc eſt Eccleſia Patriarchae CP. auctoritate erecta, eiuſque iuribus reſervata, ut apud *Goarium* in *Euchologio* videre eſt, qui recte *Meurſium* caſtigat in explicanda voce σταυροπήγιον hallucinantem. Et hae quidem Epiſtolae, de quibus hactenus egimus, in Codice MS. extant, quem mecum V. Cl. *Scipio Maffeius* liberaliter & perhumaniter communicavit, ex quo etiam has *Margunii* Epiſtolas edimus; & in quo aliae Epiſtolae ſunt a *Severo* ad *Ieremiam* Patriarcham, ut videtur, ſcriptae, ſed tempore incerto. In earum una dicitur *Ieremias* iam ex Hungaro-Valachia Conſtantinopolin reverſurus; & multos eum habere inimicos indicatur. Hoc pariter anno 1590. *Ieremias* Patriarcha ad Metropolitam Ruſſiae litteras dedit, quas adlegat *Andr. Wengerſcius* in *Hiſtoria Slavoniae Reformatae Lib. III. Cap. III.* ut probet, ſi Deo placet, conſenſionem Graecorum cum Evangelicis; qui inſuper addit, quaſdam *Ieremiae* Epiſtolas a *Stanislao Socolovio*, *Stephani* Regis Theologo, Leopoli interceptas fuiſſe. Haec amplius mihi de *Ieremia* dicenda fuerunt, qui quanta prudentia & integritate fuerit, ex eo etiam conſtat, quod apud *Spondanum* legere eſt, narrantem his verbis; *Quum Graecus quidam Monachus*,

qui

qui Ieroſolymis venerat , ut pecuniam a plebe corraderet , mentiretur non longe a Ieroſolymis lapidem caelitus decidiſſe , cui inſcriptum eſſet , Mundum poſt paucos dies interiturum : eique commento ut fidem faceret , litteras monſtraret , quas ſe ab Alexandro Patriarcha habere aiebat ; quibus promittebatur peccatorum indulgentia omnibus , qui eas pecunia compararent; Ieremiam Patriarcham, ubi haec audivit , Monachum ad ſe evocatum , & in mendacio perſiſtentem , publice excommunicaſſe , ſimul & eos, qui deinceps tales ab eo indulgentias emerent : qui vero iam emerant ipſos a Patriarcha iuſſos fuiſſe eas proferre , quae praeſente Monacho igni traditae fuere ; ipſeque Monachus pecuniam ſingulis reſtituere coactus, qui ſingulas ducato vendiderat : tunc & ipſum impoſturam amare flentem a Patriarcha Eccleſiae reſtitutum fuiſſe.

(1) Conſtantinus Magnus, quum Sedem Byzantium tranſtuliſſet, eam urbem de ſuo nomine Conſtantinopolin adpellavit, & Secundam Romam dici voluit , lege ad id lata , quae columnae marmoreae inſcripta eſt , de quo conſulendus eruditiſſimus *Carolus Ducangius Libro I. Conſtantinopol. Chriſtianae §. VI.* qui inſuper quod *Novae Romae* adpellationem adtinet , haec litteris ibidem mandavit : *Scribunt alii* Νέαν ῥώμην, *Novam Romam ab eo adpellatam. Theophanes anno XXV. Conſtantini* : Τούτῳ τῷ ἔτει κτίζων Κωνσταντῖνος ὁ εὐσεβὴς τὴν Κωνσταντινούπολιν , Ῥώμην νέαν χρηματίζειν αὐτὴν ἐθέσπισε. Hoc anno pius Conſtantinus Conſtantinopolim a ſe conſtructam Novam Romam ſanxit adpellari. *Qua quidem nomenclatura donatam obſervare eſt apud Scriptores paſſim. In Concilio II. Oecumenico Patriarchae Conſtantinopolitano conceditur primatus poſt Epiſco-*

ſcopum Romanum , διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν ῥώμην.
Gregorius Nazianzenus Carm. de Vita ſua:

Ρ'ώμη νεουργὴς , εὐγενῶν ἄλλων ἕδος,
Κωνςαντίνε πόλις τε καὶ ςήλη κράτους.

Et in eodem carmine de utraque Roma:

Δύο μὲν οὐ δέδωκεν ἡλίους φύσις,
Δίσσας δὲ Ρ'ώμας, τῆς ὅλης οἰκουμένης
Λαμπτῆρας, ἀρχαιόντε, καὶ νέον κράτος,
Τόσον διαφέροντας ἀλλήλων , ὅσον
Τὴν μὲν προλάμπειν ἡλίε, τὴν δ' ἑσπέρας,
Κάλλει δὲ κάλλος ἀντανίσχειν συζύγως.
Natura binos haud quidem ſoles dedit:
Dedit ipſa binas attamen (mundi faces,)
Romas, vetuſtam ſcilicet Romam, ac novam;
Hoc diſcrepantes invicem, quod qua cadit
Sol illa fulget, fulget haec qua ſe exſerit,
Par utriuſque pulcritudo, par decus.

Rurſus carmine XII.

Οπλοτέρη Ρ'ώμη, τόσσον προφέρουσα πολήων,
Οσσάτιον γαίης οὐρανὸς ἀστερόεις.
Roma nova, & tanto reliquas quae praeterit Vrbes,
Quam caelum terram vincit & exſuperat.

Νεοθηλὴς Ρ'ώμη, *apud Paulum Silentiarium in Deſcr. aedis Sophianae part. I. Manaſſes:*

Πόλιν τὴν μεγαλόπολιν, πόλιν τὴν νέαν Ρ'ώμην,
Ρ'ώμην τὴν ἀρυτίδωτον, τὴν μήποτε γηρῶσαν,
Ρ'ώμην ἀεὶ νεάζουσαν, ἀεὶ καινιζομένην.

Leo imperotor in Oraculo de reſtitutione Conſtantinopolis.

Βυζάντιος αὐλὴ, ἑςία Κωνςαντίνου,
Ρώμη, Βαβυλὼν, καὶ Σιὼν ἄλλη νέα.

Nicolaus Seidus loco laudato: Νέα Ρ'ώμη, νέα Ιερουσαλὴμ

σαλὴμ, μεγάλη βαβυλὼν, πόλις θεῦ. *Corippus Lib. I. numer. XVIII.*

Et iocunda novae Circenſia gaudia Romae.

Et Lib. III. num. V.

. . . *votiſque ſuis nova Roma favebat.*

Ita eodem Libro n. VII. Lib. IV. n. II. Denique Otho Friſingenſis Lib. IV. Cap. V. Conſtantinus ſedem Regni Byzantium tranſtulit, eamque Conſtantinopolim vocavit, quae & Regia Vrbs, & Neoroma vocata.

(3) Oecumenicus, *Generalem* ſignificat, quae vox a Graeco vocabulo *οἰκεμένη*, quod terram univerſam habitabilem deſignat, originem ducit. Concilium Chalcedonenſe anno Chriſti CCCCLI. habitum hoc nomen primum adſumſit; & poſtea Presbyteri, & Diaconi, Eccleſiae Alexandrinae Pontificem Maximum hoc nomine decorarunt ſcribentes: *Sanctiſſimo & Beatiſſimo Patriarchae Oecumenico Magnae Romae*. Quod quum novi Patriarchae Conſtantinopolitani ſenſiſſent, hunc eumdem titulum ſibi vindicarunt, qui deinde illis ab Imperatoribus, & Conciliis Graecorum tributus eſt; ut ex Conſtitutione quadam quintae Synodi luculentiſſime patet, in qua Imperator Patriarcham *Mennam* hoc titulo honoravit, quum ſcripſit: *Imperator Caeſar Fl. Iuſtinianus Mennae Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Archiepiſcopo, & Oecumenico Patriarchae*. Ita etiam in Concilio anno Chriſti DXVIII. Conſtantinopoli habito, *Ioannes III.* Epiſcopus Conſtantinopolitanus Patriarcha Oecumenicus fuit adpellatus. *Ioannes* vero IV. cognomine *Ieiunator* maiori faſtu hunc titulum ſibi tribuit in Concilio generali totius Orientis, quod ſine Romani Pontificis Pelagii II. conſenſu congregaverat, a quo ne Oecumenici titulum adſumeret prohibitus

bitus fuit. Illum tamen ſemper hic Patriarcha ſibi nihilominus adſcivit, atque etiam in Actis Synodi, quae Romam miſit; cui conſuetudini eius in poſterum ſucceſſores tenaciter inhaerere voluerunt. *Gregorius* tamen *Magnus* multo ante, ut ex variis eius epiſtolis colligere eſt, hunc titulum, profanum vocabulum, & vanitatem ſtulti nominis, vocavit; eoſque, qui ſe hoc inſignitos vellent vehementer improbans, demonſtrat neminem / Romanorum Pontificum temere hunc titulum adſumere auſum eſſe, quamvis a Concilio Chalcedonenſi illis oblatus eſſet. Etſi vero Romani Pontifices hunc titulum, ipſis tantum iure optimo debitum, ſibi adrogare noluerint; attamen a Conciliis ſemper eis honoris gratia tributus fuit, ut Acta Synodi Conſtantinopolitanae ſub *Menna* Patriarcha celebratae perſpicue teſtantur; in quibus Epiſcopi Pontificem Maximum his verbis adloquuntur: *Domino noſtro per omnia Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Patri Patrum Archiepiſcopo Romanorum, Oecumenico Patriarchae Agapeto*. Quin etiam *Phocas* Imperator anno Chriſti DCVI. quum *Cyriacum* Patriarcham odio proſequeretur, neminem praeter Romanum Pontificem hoc titulo decorandum per publica edicta imperavit; quod quum *Cyriacus*, qui hunc titulum pro virili portione ſibi vindicabat, aegre tuliſſet, nimio dolore confectus, tandem naturae conceſſit. *Sergius* pariter Epiſcopus Cyprius, quum Theodoro Pontifici Maximo Synodalem Epiſtolam ſcriberet, eum Oecumenicum dixit, ſcribens: *Sanctiſſimo ac beatiſſimo a Deo honorabili Domino meo Patri Patrum Archiepiſcopo, & univerſali Papae Domino Theodoro Sergius humilem in Deo Salutem*. Hoc etiam titulo *Conſtantinus* Imperator anno DCLXVIII. Pontificem

cem Romanum adpellavit, ubi ſcripſit: *Conſtantinus Fidelis Magnus Imperator Domino Sanctiſſimo, ac beatiſſimo Archiepiſcopo antiquae Romae, & Oecumenico Papae*. Sed licet Epiſcopo Romano iure tamdem Oecumenici titulus adſertus fuerit, eum pariter Patriarchae Conſtantinopolitani ſibi vendicare non deſtiterunt; quamquam Leo IX. Pont. Max. ea de cauſa *Michaelem Cerularium* Patriarcham vehementer reprehenderit, illudque honoris vocabulum etiam Romano Pontifici abiudicavit, cuius verba digna ſunt, quae heic producantur, ut apud Baronium ad annum MLIV. *num.* 12. exſtant: ſunt autem: *Qualis vero, & quam deteſtabilis, atque lamentabilis eſt illa ſacrilega uſurpatio? quare univerſalem Patriarcham iactas ubique, & ſcripto & verbo, quum omnis Dei amicus huiuſmodi hactenus horruerit honorari vocabulo? Et quis poſt Chriſtum convenientius poſſet inſigniri hoc vocabulo, quam cui dicitur divina voce: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram aedificabo Eccleſiam meam? &c. Verum quia ille non invenitur univerſalis Apoſtolus dictus, quamvis Princeps Apoſtolorum ſit conſtitutus: nullus ſucceſſorum eius tam prodigioſo praenomine conſentit adpellari penitus, licet Magno Leoni praedeceſſori noſtro, & ſucceſſoribus ipſius hoc Sancta decreverit Chalcedonenſis Synodus: nempe animadvertebant non eſſe amicum Sponſi, qui pro Sponſo vellet amari: quin potius paranymphum, & lenonem Antichriſti, qui adverſatur, & extollitur ſuper omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur*. Iam conſtat igitur cur, & quomodo, & ex quo tempore, Patriarchae Conſtantinopolitani Oecumenicos ſe adpellent. *Elmius*.

(4) Titulos, quibus utitur Patriarcha CP. quum

 Epiſco-

morum Epiſcoporum ſapientiſſme, proſpicere diligenter, ne quid tibi non placiturum patereris. Saepe enim Pontificum coetus Pontificatu te deiicere, & omnino privare decreverunt, dicentes te minime noſſe Latinos veteres, & noſtros ſanctos Patres, & maxime id quod de Sanctiſſimo Spiritu additum eſt. Quomodo enim te putas omnibus eſſe maiorem, vehementer fluctuans, & contra illos facile invectus, quibus eſt actionis & contemplationis, ut ille dicebat, fundamentum? Ceſſa igitur ab huiuſmodi, nihil turbans, & turbatus a multis, ne forte recentius quidpiam inferenti ipſe etiam nequeam manum tibi auxiliatricem porrigere. An neſcis, o Amice, non apud me ſolum, ſed etiam apud univerſam noſtram Eccleſiam, haec deferri? igitur prudenter omnino, ut virorum optimus. Inſuper & cum Sanctiſſimo Philadelphiae Antiſtite reconciliare, omnia quaecumque ſunt contra ipſum, ſive typis edita, ſive aliter, igni tradens quoad fieri poteſt. Ita meis collegis, & meae mediocritati haud iniuria viſum eſt: non

opor-

Epiſcopis ſibi ſubditis ſcribit, exhibet eruditiſſimus *Anſelmus Bandurius* in *Antiquitatibus CP.* Ceterum titulus θεοφιλέστατος *Dei amantiſſimus* Epiſcopis paſſim tribuitur.

oportebat enim poſt dilectionem contumelias in lucem edere, (1) ut vidimus. Etenim Theodoretus maior (2) Cyrillo, ſed contra illum ſcribendo multo minor evaſit. Igitur ita eſto, & non aliter; & Dei gratia ſit cum tua Dei-dilectione.

(1) Tanta *Margunius* in *Gabrielum Severum* amarulente ſcripſit, ut *Demetrius Procopius* haec de illo Philadelphiae Archiepiſcopo litteris mandavit: ἀλλ' εἰ τὰ παρὰ μαργουνίου κατ' αὐτοῦ ἐκφωνηθέντα καὶ γραφέντα ἀληθείας ἔχεται, μηδὲ πάθους τινὸς ἐνδομυχοῦντός εἰσι νυήματα, ὀλίγων ἐπαίνων ἄξιος ἦν ὁ Σεβῆρος. *Quod ſi veritati congruentia ſunt, quae Margunius adverſus eum voce ſcriptoque prodidit, neque potius ſunt ſoboles repoſiti alta mente adfectus, exigua laude dignus Severus fuerit.*

(2) Bene dicit *Cyrillo* Alexandrino doctrina praeſtitiſſe *Theodoretum*; nam is iudicio, & caſtigata eruditione, ceteris prope Graecis Eccleſiaſticis Scriptoribus anteit.

Digitized by Google

EODEM INTERPRETE.

Coactae in Chriſto Conſtantinopoli ſacrae Synhodo, Patribus reverendiſſimis, & Dominis maxime honorandis, Maximus humilis Epiſcopus Cytherorum, omne id quod ſalutare eſt, & in divinam gloriam & beneplacitum redundans.

MIhi quidem, o Sacra, & in Deo congregata, Domini & Servatoris noſtri Ieſu Chriſti Synhode, & valde deſiderabile fuiſſet, & longe iucundiſſimum, celeri alacritatis & dilectionis ala uſo, ad vos accedere, & convenientem reverentiam unicuique tribuere; &, licet ex praeſentibus rebus, omnibus per omnia inferior ſim, ſymbolam conferre honeſto, & Deo grato veſtro ſtudio, & laudabili diſpoſitioni erga ſacram Chriſti Eccleſiam. Quoniam vero nec mihi id ipſum fuit per veſtras communes litteras, & privatim noſtri principis (1) indictum, neque in me eſt exſequi id quod deliberaviſſem, invitus de reliquo ſacri veſtri coetus privationem, cum quanta triſtitia alii dicant, ferens vitam exegi. Quod vero mihi reliquuum fuit,

(1) Hoc eſt, Veneti Senatus.

fuit, litteras qualeſcumque ad vos exarare, ad hoc in praeſens excitor. Et mihi, per adverſus Deum pietatem, aequas (debetis enim) praebeatis aures; mihi, qui parum deeſt quin animum ipſum deſpondeam, non ob ea, quae adſidue patior (forte enim peccatorum a me commiſſorum, & quae quotidie committuntur, hanc purgationem aliquam a Dei miſericordia ambieram) ſed ob ea, in quibus me in primis iuſtum, non vulgare pati probrum conſpicio. Ego enim, etſi in cunctis aliis inferior ſum aliis ſive dignitate aequalibus, ſive ſuperioribus, tamen in pietate & orthodoxia natus ſimul & innutritus, quoad harum abundantiam, nemini huc uſque conceſſi, & Deo favente, neque in poſterum concedam (1). In hoc a me, & antequam Sacerdotii gradum adſcenderem, non modicum ſtudium collatum eſt, & certamen non vulgare initum, quum adhuc iuvenis Patavii commorarer (2) & quum praeterea cuſtodiae traditus fuiſſem (3) & vita periclitarer; & quum vir iam evaſiſſem, tanto magis mihi religionis & pietatis amor calefactus eſt,

(1) Vide ſuperius *pag.* 212. 277. 279.
(2) Vide *Praefat. in P. II. Epiſt. Glycae*.
(3) Adi ſuperius *pag.* 237.

eſt, & exarſit, ut & aliquid commentus fuerim, quod communi noſtrae Eccleſiae non inutile eſſet, & noſtrum dogma magis confirmaret, & alios quoad fieri poteſt ſimul in eius intelligentiam adduceret. Hoc autem dicere licet propter ipſam veritatem mihi, nihil meum enuncianti, nec novi aliquid inferenti, ſed ea quae ab antiquis Patribus & Doctoribus, Aſianis ſimul, & Europaeis, dicta ſunt, ex bono & aequo, &, ut ipſi maxime vellent, in unam Evangelicam conſonantiam atque conſpirationem (1). Impoſſibile enim arbitratus ſum eumdem Spiritum ſua aliis aliter inſpiraviſſe, qui cuiuſcumque unanimis unitionis cauſa eſt. Hoc meum ſtudium erat, hae meae deliciae & commentatio; ſi vero ſupra meas vires erat, confortabat me Spiritus ille, apud quem nihil eſt impoſſibile, & cuius in infirmitate virtus perficitur, quique novit abſcondere multa a ſapientibus & intelligentibus, & ſtultis miſericordiſſime revelare. Praeſertim quum non ita inſanierim ego, ut tantum opus a me ipſo ſolo perficiendum confiderem; ſed ad Sanctam noſtram Eccleſiam accurrebam, & ad eum, cui huius gubernaculum regere a Deo providenter conceſſum fuerat.

(1) Vide ſuperius *pag.* 209. *& ſeq.*

rat (1). Poſtquam vero quidam ex noſtris illis, qui elegerunt non ingredi per oſtium in ovile ovium, ſed aliunde adſcendere ad hoc delabentes, ad alienas opiniones converſi ſunt, ita ut quidam matris interfectores eſſent, & adverſus eam, quae ipſos genuerat atque nutrierat, imprudenter, & iniuſtiſſime inſurgerent; hos quoque convenienter ad patria reducere deſideravimus, redarguentes perverſam & fallacem eorum intelligentiam quoad noſtrum dogma, & manifeſte iis ob oculos ponentes pro virili portione, & contentioſius, ac obluctantium ritu ea, ex quibus ipſi ad veritatem adgrederentur. Hic autem ſcopus mihi propoſitus fuerat, concordia & conſpiratio Chriſtianorum ex bono & aequo, & vero, quoad fieri poterat, in Synodo ineunda (2). Quodcumque autem vel tantiſper ab aureo noſtri dogmatis nomiſmate, (3) imagine differt, longe id a nobis. Horum vero mihi teſtis oculus, qui omnia videt, quique corda ſcrutatur & renes,

(1) Ad ipſum videlicet *Ieremiam* Patriarcham, cui opus ſuum *De Proceſſione Spiritus Sancti* dedicavit, ut ſuperius *pag.* 171. 193. videre eſt.

(2) Quomodo id facere vellet, coniicere eſt ex iis, quae habet ſuperius *pag.* 290. *& ſeqq.*

(3) Vide ſuperius *pag.* 277.

nes, & una mihi teſtimonium perhibet conſcientia, & ipſae prope loquentes res, de hoc ſcilicet argumento ad noſtri ſplendidi dogmatis confirmatiorum opera a me elaborata; cum multis & voce, & litteris certamen, ſcopum habens ſemper veritatem, qua nihil apud eos, qui ſecundum Chriſtum vivunt, fuerit umquam ſtabilius, vel cum Nicolao ex ordine Cruciferorum (1). Poſt haec vero Epiſcopum melle potavit Epiſtola, hoc eſt ad Petrum Entabilam ex ordine Franciſcanorum, nunc vero Rhethymnes (2) Epiſcopum, Apologia; & Epiſtolae, quae Roma mihi miſſae ſunt a Spiridione Blondo, aliiſque; ad Antonium Temonium, Medicum Chium, quum quidam ex vobis forte cauſas praebuiſſent, poſt illa reſponſum. Praeterea quae a me in praeſentis diſputationis iudicio in meam defenſionem ſcripta ſunt, quotidiana certamina excitata cum mihi adverſantibus, & tamdem lucubrationes meas typis editas, quibus calumniae contra me ſtructae cau-

(1) Vide ſuperius *pag.* 116.

(2) Rhethymnae, Cretae Vrbis, videtur fuiſſe tunc temporis non tantum Epiſcopus Graecus, verum etiam Latinus, quum Creta in poteſtate Venetorum eſſet. Hodie *Retimo* vocatur, & tertias in inſula obtinet, a Turcis anno 1647. obſidione capta. Conſule *Praefationem*.

caufam dederunt ; ſive aliter alius quis noſtra diffamavit , & nonus iam annus elapſus eſt , ex quo noſtram in eodem negotio tabefacit vitam , & omnimodis noſtram infirmitatem oppugnat (t). Vtinam ſit hic ſeipſo melior , ſive igitur Deo rationem reddat , utpote qui fuit , & eſt cauſa ſimplicibus animabus ſcandali non ſpernendi ; ſive quia non iudicavit obedire ſine acceptione perſonarum , & exacte , & habita iuſtitiae ratione primae , ſecundae , & tertiae Synodo ſuper huiuſmodi inſpectione celebratis ; magis vero ob ea , quae poſt haec fecit & contemſit. Ego quidem neſcio quid dicam ; conſideratio autem veſtri ſit , qui rerum tantarum curam ſuper vos ipſos coram Deo ſuſcepiſtis , Patres religioſiſſimi. Sed enim , quae nam haec ſuper illis , quae exacte , & ſine perſonarum acceptione , & legitime , decreta fuerunt , abſurda , & caſtis auribus inaudita , & quae in praeſens eminuit , mutatio? Profecto nos alii ex aliis tam cito eva-

(t) Anno igitur 1583. perſequutio in *Margunium* exorta eſt. Hoc autem anno *Margunium* adhuc in Creta fuiſſe colligi videtur ex Epiſtola *Conſtantini Servii* Cretenſis ad *Mart. Cruſium* Patavii hoc anno ſcriptam , ubi ille ait propediem *Margunium* Venetias profecturum eſſe , a quibusdam ſuis conterraneis intellexiſſe.

evaſimus, vel fruſtra de reliquo ſuſque deque noſtra feruntur, & nullo ſtabili fundamento fulcimur. Heinc inconſolabiliter flere fert animus, ad tantum noſtri generis infortunium reſpiciens, neſcio quid aptius dicam, iuſtis Dei iudiciis extrema pericula ſubeuntis. Conſolatur tamen me quomodocumque, plurimas eſſe omnino litteras, & arbitrari tales ab quodam callido artifice, veritatem quam maxime decipiente, perfectas eſſe. Neque enim puto ad tantam turpitudinem ſacram Synhodum adductam fuiſſe umquam, ut non multo poſt, & ſine ulla rationabili cauſa, contraria ſibi decernat, & irrita reddat, quae prius recte ſub Deo teſte, & incorrupte definivit; praeſertim quum neque gratia, neque inimicitia aliqua, neque munerum acceptione, iuſtum deſtruat, quae optima fuit iuſti regula, & ſine perſonarum acceptione, rerum, quae in controverſiam vocatae fuerant, iudicium; neque profecto a dignitatibus, ſi ita contingat, vehementer perculſa, ut propter hoc minus diſtribuat eis, quibus plus oportebat ex recta lege ſuppeditare, Deo quam maxime gratificantem. Adfectus enim in huiuſmodi iudiciis, non omnino perſpicax fuerit; averſio autem nihil omnino viderit: ubi tamen utriuſque huius lippitudinis pu-

rus

rus poſt Deum , & ſub Deo cenſore iudex praefuit, quem nam umquam habuerit locum ſententiae violentae exſequutio? Vbi vero pariter, & mentis eſt acumen, & morum ſimplicitas, & iugi latio indeclinabilis, & inſpector iudiciorum Deus, quomodo nam corrumpetur iudicium? Haec igitur mecum ipſum maxime conſiderantem & adſidue revolventem, & priorum Synhodorum exitum omnino reputantem, res falſas fuiſſe colligere induxerunt An vero a ſcopo non aberraverim, ipſae, inquiunt, res proclamabunt, & a vobis faciendum decretum. Quid nam vero litterae dicunt? Bonum enim & has in medium adducere. *Ieremias Dei miſericordia, &c.* Hactenus diligenter examinavi illud, *Ne quid tibi non placiturum patereris*. Num igitur contrarium aliquid ſacris conſtitutionibus ſancire Deo gratum eſt, vel prorſus ingratum ipſi, & exſecrabile? Demus enim omnino per conceſſionem aliter aliquando me ſenſiſſe de dogmate, (quod, Chriſte Rex, abſit a noſtra ſententia & propoſito) quam ſit communis Catholicae noſtrae Eccleſiae opinio & intelligentia: ergo haec eſt Chriſti lex, ſtatim & ab ipſis exordiis fratrum peccata exponere et publicare? Et praecipue etiam quae quis ſpecie confeſſionis quadam communi-

municavit? Et quomodo haec Chriſtianorum? et praecipue Pontificum? An non forte propterea etiam Cham maledictus eſt, et Moſis ſorori lepra inducta, et alius aliud huiuſmodi paſſus eſt? Quomodo utique in poſterum locum habeat Chriſti praeceptum illud, *Si peccaverit in te frater, &c.* Si vero etiam poſt ſacras Synodos, quae contraria decreverint, eadem nihilominus libere loquatur, quantum utique piaculum, huiuſmodi placere? Porro, nonne manifeſte eſt contraria conſtitutio iis, quae a Chriſto ſancita ſunt, ubi in communem animarum perniciem fit huiuſmodi publicatio? Hactenus conſideravi diligenter: et tamen e regione horum ſtant, quae dudum et non multo ante a ſacris Synodis decreta et facta ſunt, atque hic ad verbum ita continentur: *Haec igitur coram mediocritate noſtra, & qui cum ea aderant, Pontificibus legitime & canonice, incorrupta perſona, & iuſtitiae modo, exacte, & ſine acceptatione perſonarum, a prima, & ſecunda & tertia Synodo, ſubtiliter diſcuſſa, & probe iudicata, perſpicue & dilucide cognovimus eſſe calumniae plena, & omni calliditate & criminatione ſcatentia, maxime vero*, & quae ſequuntur. Quae igitur puppis adpulſio, et adverſa pelagi procella, et huiuſmodi ingrata ad peiora

immu-

immutatio? *Vt nibil eorum quae diſplicitura ſint patiaris*. Hoc vero nihil aliud eſt eis, qui ad antecedentia reſpiciunt, quam propinare, et facere, ut quidam intelligant ſuffragium auro dandum eſſe; et manubrio abſurde iuſtitiae iugum ſuccutere: niſi quis dicat bene habere etiam hoc, et bene in primis, proximi peccata, ſi ita accidat, publicare, & ſcandalorum maximorum cauſam eſſe populo, & decreta ſacrarum Synodorum conculcare, & contra ipſas audacter ſtatuere ea, quae magnum exitium animabus adcumulant. O inconvenientiam! Et quomodo quis non nauſeaturus ſit in his, & abſcondi nolit, quum pariter nos a noſtro Iudice aliena haec omnino eſſe & ſciamus et confirmemur? Quaenam vero cauſa talibus placendi? Etenim ſaepe dicunt litterae: *Pontificum congreſſus, adfirmant te nibil noſſe antiquorum Latinorum, & noſtrorum Sanctorum Patrum, & maxime quod de Sanctiſſimo Spiritu additum eſt, adeoque Pontificatu te privandum, & in totum deponendum omnino praeiudicarunt*. Saepe *Pontificum congreſſus*, ſaepe, & quomodo? Sermo antipathia refertus, et ad ſatietatem habens illud, *A paſſione motum eſſe, & a noxa*. Etenim quum ad tertiam Synodum reſpicere et adtolli non poſſit, redundantia numeri, ſine inruptione ſpe-

ravit turbare, & certare contra veritatem, abſcondere ſolem nimis imbecilliter ſtudens. Quorum nam vero Pontificum? Certe eorum, de quibus paulo ante celebrata Synodus dicebat: *Propterea mediocritas noſtra, ſententia, conſilio, declaratione omnium praeſentium Pontificum, & Fratrum bene iudicans, iubet in Spiritu Sancto, ne quis noſtrum ſive initiatorum, ſive profanorum, audeat dicere, vel argumentari contra Cytherorum Epiſcopum, eum non ſentire & ſervare pure, exacte, & dilucide dogmata noſtrae Graecae Eccleſiae*. Horum ne igitur, vel quorumdam triobalarium ſua primogenia lentium pulte vendentium, & ſuam ſententiam, qualiſcumque illa ſit, veritati, & ei, quod in commune conducit, praeferentium, & univerſim ſcandala ponentium, & ſui ventris conceptus eructantium? *Nihil antiquorum Latinorum & noſtrorum Sanctorum Patrum, te noſſe adfirmantes, & praecipue quod de Spiritu Sancto additum eſt*. *Nihil occultum*, ſacra inquit Scriptura, *quod non revelabitur*. Et rurſus: *Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita*. Ita igitur neque bonus talium ſcriptor ita poterit abſcondi ut non deprehendatur ea, quae vera non ſunt, proferre; ſicut neque fieri poteſt ut veritas abſcondatur ſplendidius ſole ipſo refulgens. Etenim ſecundum

dum

dum utraſque haſce propoſitiones vera non dixit. Dicere enim, me antiquos Latinos non noviſſe, reſpectu recentiorum, eſt omnino eius qui ſermonem reſtringit, quaſi diceret, me recentioribus inhaerere, in antiquis minime verſatum. Ipſe vero contrarium omnino feci, a recentioribus prorſus abſtinens, & noſtros ſanctos Patres, & Doctores, & antiquos Latinos, perlegens. Hi autem fuerint (1) *Dionyſius*, & *Athanaſius*, & *Baſilius Magnus*, & *Gregorius* (2) & *Cyrillus* (3), & *Chryſoſtomus*, & *Damaſcenus*, *Cyprianuſque*, & *Hilarius*, & *Auguſtinus*, & *Ambroſius*, & *Hieronymus*, & reliqui veteres. Hos igitur concinentes ſibi ipſis, & veritati, quoad dogma hoc, demonſtrare adductus ſum, & forte non ignobiliter, ſi incorruptos iudices adſequar. Verumtamen id omne ad noſtri dogmatis confirmationem. Et hoc omni canora tuba clarius ſcripta a nobis elaborata praedicant. Aliunde vero, quomodo quis huiuſmodi contra me decreverit, quum neque per ſomnium, ut aiunt,

 La-

(1) *Pſeudo-Dionyſium* Areopagiten intelligere videtur, quem omnium antiquiſſimum pro ſuae aetatis credulitate *Margunius* cenſet.

(2) *Gregorius* ſcilicet Nazianzenus, ſeu Theologus, utpote celebrior.

(3) *Cyrillus*, ut puto, Alexandrinus.

Latinorum linguam audierit? Opus eſt enim ut is, qui in aliquo ignorantiam alicuius accuſat, prius habeat ſcientiam eius, in quo alterius ignorantiam accuſavit. Aliter enim ſuper petras utique ſeminaverit, & aerem verberaverit, & quaecumque alia proverbium de impoſſibilibus recenſere ſolet. Hoc autem verum eſſe, & quidem valde, & ipſe dexter huiuſmodi ſcriptor, ſi tantum veritatem moretur, haud utique inficias ierit. Aliter enim Araneae tela huiuſmodi textus imbecillior fuerit. Ipſe enim omnem convenientem reverentiam veſtrae Sanctitati exhibeo, Patres religioſiſſimi, & omnino paratus ſum veſtrae Sacrae Synodo, & divinitus vobis ſuppeditatis inſpirationibus, obtemperare: verumtamen vos conſentientes in hoc habere me reputo, ſi minus eligo ut Latinae linguae iudices ſedeatis (1). Id autem, eo quod in huiuſmodi idiomate probe exercitati non ſitis. Igitur neque ita ſcriptor a falſi denunciatione liberabitur, quod vos renuitis, hoc & invitis vobis deferens; adeo veritatem non continet ea, quam pulcre, ut quidem ipſe arbitratus eſt, contexuit, propoſitio. Deinde vero neque hoc deſpiciendum. Demus enim talem me eſſe.

(1) Vide ſuperius *pag.* 247.

eſſe. Igitur monere ne oportebat, & docere vera, vel in profundum quoddam deſperationis demittere? Porro gentium Doctor his admodum contrariam legem ferens declarat. Eiusdem generis pariter, quae hanc ſequitur, propoſitio eſt. Ego enim neque addo aliquid in univerſum, neque certe umquam addiderim, modeſte me gerens. Contra ſiquidem eos, qui *Additionem* contra nos expoſuerunt, noſtros poſteriores, & alios, omnino feror, & aliquid certantium ritu concedens aliter diſpoſitis, ut univerſim eos, ſi fieri poteſt, ad veritatem dogmatis adtraham. Dico certe hanc factam fuiſſe ante tertiae Synodi prohibitionem, & nihil incongrue additum eſſe; ut ita ſignificet Sanctiſſimi Spiritus proceſſionem fieri per Filium in noſtram ſanctificationem & in melius converſionem (1); & ſi ex Patre Spiritus Sanctus ineffabiliter in propriam exſiſtentiam & hypoſtaſin (2) procedit; ita ut idem ſignificet apud Latinos *Spiritum ex Patre, & Filio procedere*, quod apud noſtros ſacros

 do-

(1) Vide ſuperius pag. 210.

(2) De huius vocabuli apud Theologos ſenſu, vide *Dionyſ. Petavium Lib. IV. De Trinitate Cap. I.* Et meam diſſertationem *De Patrum Nicaenorum fide Cap. XXVII. & XXXII.*

Doctores explicite, ex Patre quidem procedere, per Filium vero prodi, ſuppeditari, & mitti ad creaturam: ſicuti & Sacer *Maximus* Latinorum dicta ſuis temporibus bene interpretatus eſt, in Epiſtola ad Marinum Cypri Presbyterum. Prodi autem per Filium Spiritum alii omnino materiae Theologicae convenit, non huius proceſſioni in propriam exſiſtentiam ferenti, apud eos, qui Theologica argumenta tractare noverunt. Deinde vero, quinam fuerint talium iudices? Num qui utramque linguam mediocriter callent? Sed generoſus hic dogmatiſtes male contra nos adfectus, ut videtur, & non vivendum ſibi fuiſſe reputans, niſi quomodocumque contra nos inveheretur, quae quidem ſenſerat, etſi aliud ſimulans (o patientiam tuam Chriſte rex) haec nobis ferens per calumniam attribuit. Non ſim vero ego innocens apud Deum, neque propitium Deum habeam in iis, in quibus deliqui, niſi unam Filii, & Spiritus cauſam recognoſco, illius quidem ſecundum generationem, huius vero ſecundum ineffabilem proceſſionem. Me ipſum vero numquam dixiſſe eſſe ullo alio maiorem, adeo verum eſt, ut potius omnium minimum, ut profecto ſum, meipſum exiſtimem; niſi quis hoc vocet

ſu-

ſuperbiam & adrogantiam, nolle ab ullo vinci in adnunciatione dogmatis, in quo magnifice de ſe ſentire ſemper oportet. Opto (alterius temporis, & uſus, huiuſmodi indigebunt) veritatis domonſtrationem, quandoquidem noſtra ad invicem diſquiruntur. Praetereo vero ſilentio lubenter reliquas Epiſtolae partes, ne in iis occuper ultra quam oportet, quae brevi ſermone digna ſunt. In ipſis vero deinde litteris, quaſi Panodicis, & hoc infertur: *Inſuper cum Sacratiſſimo Philadelphiae reconciliare; omnia quaecumque contra ipſum, ſeu typis excuſa, ſive aliter, exſiſtunt, igni tradens quoad fieri poteſt.* A me quidem hanc reconciliationem poſt haec omnimodis expetitam fuiſſe, & talem, ut ſecundum Deum & ſacras leges reconciliatio eſſet, teſtes ſunt mihi litterae illi ſcriptae ut eum ad hanc exhortarer; & (1) teſtis eſt conſcientia mea, & conteſtis mihi Deus ſupernus; inſuper & liber a me quomodocumque contextus, hanc ut iam factam ſubponens, & teſtes mihi multi. Hunc autem firmum, & inflexibilem ad hoc permanſiſſe, ipſa, aiunt, opera teſtantur. Confirmat vero ſermonem

(1) Vide ſuperius Epiſtolas, quae habentur *pag.* 276. *&* 284.

nem meum etiam ad ſacrum altare hoc eodem tempore ingreſſus, & tamdem ad eius cellam per me ipſum acceſſus, cuius quum permiſſionem tantum petiiſſem, ne per nos ſcandalum populo fieret, non accepi. Quod mihi certe de reliquo in cauſa fuit cur Patavium concedere elegerim, ubi nunc verſor, etſi ut Venetiis maneam a multis roger, & nunc reverti prope periclitor, a quibusdam Senatoribus evocatus. Cur vero igni tradenda quae a me ſcripta ſunt? Iure quidem, ſi dogma aliquod haereſin ſapiens iis inſperſum fuiſſet. Quid enim aliter evacuabit locum inſtar ficus infructuoſae? Si vero orthodoxiam praeferunt, & nihil quod non ex ſacra Evangeliorum, & noſtrorum Doctorum doctrina dependeat, quaenam haec exſequutio, & quae horum cum Vulcano communio? Si vero, quia pro veritate pugnant, & calumniam tollunt, etſi neque nominatim, ſed generali quodam modo, & occulte, & indefinite; etiam contradictorii Theologorum libri veritatem propugnantes, & haereticum faſtum deiicientes, igni tradantur in poſterum, & nihil habeant amplius *Baſilius*, & *Athanaſius*, & *Gregorius*, & ſiquis alius huiuſmodi veritatis defenſor, quam ii, qui audacter contra ipſam inſaniunt; & pro-

& provehantur mala, bona vero ne reſpiciantur quidem omnino, neque patrocinetur quis veritati, ne is, qui contra eam audacter ſe habet, reprehendatur. Et quomodo haec eorum qui pro veritate ſunt, & ipſum vivere renuunt, modo illa ſtet? *Ita iis qui mihi adſunt, & meae mediocritati viſum eſt.* Quam indecens perſona, & omnino inepta ſimulatio! Ita enim ne ipſa quidem puerorum manus iuſtitiam depingeret. Num igitur ita viſum eſt ſoli litterarum auctori, vel alii ſecundo, temere illud *facere viſum eſt* gratum & iucundum? Quomodo vero aliter iuſtum ſit, ſacras contemnere Synodos, & fidelium animas ſcandalizare; & praevalere omnino mendacium, & veritatem tabeſcere; & illud ad multorum exitium praedicari, & hanc veluti in occulto abſcondi, & profundis tenebris obumbrari, & ad noſtram punitionem, & eorum qui deinceps venturi ſunt, nihil omnino eminentem? *Non oportebat poſt dilectionem contumelias excudere.* Sed & hoc praecedentibus ſimile. Neque enim poſt dilectionem, ne forte ita circa maxima nimis ſubtilis ſim ego, praeſertim circa dilectionis bonum, ex quo quodammodo lex & prophetae dependent; (& teſtis occultorum cognitor Deus) ſed ante hanc in quo ſcan-

ſcandalum viguit, miſſae ſunt litterae. Reſipiſcentia dilectionem nobis revelavit. Alias vero, non nos praecedenter contumeliis adfecimus, ut aliquis dixit, ſed per tot annos iniuſte calumniam circa dogma patientes ulti ſumus; & id cum multa aequitate, veluti ſub aenigmate & latenter ſermonis iudicio uſi. Sed enim & ipſae litterae multo ante Sanctiſſimo (1) Patri miſſae ſunt, & Vulcano tradi has rogavit, & nobis hoc praecedenter in memoriam revocavit, non concedens malo iuſtum & perſonarum non acceptorem iudicem requirere cauſam, & non ad quod culpabatur tantum converſus eſt; & valde neceſſario, ſi purus ſacrificium iuſtum oblaturus eſt Deo, qui ipſa ex ſe ipſo iuſtitia eſt. Non enim Deo placet dicere, *Punio Petrum quia Paulum verberavit;* ſed oportet prius (2) audire *Petrum* dicentem, ſe a *Paulo* prius percuſſum fuiſſe, & quidem nulla rationabili de cauſſa; & te quidem manus ſubſtuliſſe, ut caput contra colaphos munires, & parum abſuiſſe nihilominus quin laedereris. Ita enim inſons omnino

no

(1) Patriarcha CP. vocatur *Sanctiſſimus* a ſubditis, *πανᾳγιώτατος*, ut ſuperius *pag.* 210. videre eſt.

(2) *Seneca* Tragicus:

Qui quidquam ſtatuit parte inaudita altera,
Etiam ſi aequum ſtatuerit, haud aequus fuerit.

no *Petrus* adparebit apud eos , qui recte iudicare noverunt . Deinde vero ante reconciliationem ego ea , quae contra ipſum conſcripſeram, ſufficienter illi in memoriam revocavi,dixique me neceſſitatem habuiſſe propter calumniam quocumque mittere litteras , ut quoad me animae minime ſcandalizarentur . Non tamen propterea violenter probandae enuntiationes ; ſed iuſto iudicio cauſae permittendae. Quoniam & Deus ipſe , qui omnia ab ipſa generatione novit, deſcendere & clamorem videre Sodomorum miſericorditer voluit , diligentis perſcrutationis illos , qui eius locum tenent in terra , docens argumentum ; quod arbitror manifeſte declaraſſe nobis etiam quum Adamo dixit , *Adam ubi es?* (1) Etenim & Caino ipſi , *Vbi eſt Abel frater tuus ?* dixit . Si vero Eccleſiaſticae Hiſtoriae recordari voluerimus , & quod Ambroſius Mediolani Epiſcopus Imperatori Theodoſio (2) de iudiciorum materia praecepit , forte huiuſmodi aliquid

(1) Hinc recentiores Iureconſulti citationis iure divino neceſſitatem utcumque arguunt . Haec forte *Margunius* Patavii didicerat .

(2) Perhibent *Ambroſium* Mediolanenſem *Theodoſio* Seniori praecepiſſe ut legem ferret ne capitalem ſententiam in quemquam quis exſequeretur , quam non ante triginta dierum mora maturaſſet . Vide *Tillemontium* in *Ambroſio Cap. LXII.*

quid indicaverit. Alexandrum vero ferunt, quum audiret quemdam cuiusdam criminis ab alio accuſari, a criminibus munire & cuſtodire ſolitum fuiſſe eum, contra quem accuſatio facta fuerat. Praeterea quae Magnus Conſtantinus in huiuſmodi materiis fecit, & ſi quid aliud tale eſt, ex quibus videlicet cauſas pariter & maxime quis deduxerit, cur Sanctiſſimus (1) ad me litteras dederit. Quomodo vero deinde locum habeat heic Theodoretus contra Cyrillum ſcribens? Non enim ſimpliciter condemnatur Theodoretus, quod contra illum ſcripſerit; ſed quod bene ſentiebat Cyrillus, male vero eum ſentire Theodoretus ſubſpicabatur atque ſcribebat (2). Hoc vero iterum pro nobis magis ſit quam contra nos omnino, apud iudices incorruptos. Nos enim & per litteras, & per ſcripta, & per propoſitiones, & per opera eius, quod & corde credimus, & ore inverecunde profitemur, in medium producentes, & cunctis manifeſtum exhibentes, poſt ſacras etiam congregatas Synodos & decreta pro nobis, pariter nihil minus vexamur, & calumniam patimur. Sed enim

(1) Hoc eſt, Patriarchae CP. Vide ſuperius pag. 330.

(2) Vide *Tillemontium* in *Theodoreto Cap. XVII.*

enim neque ita negavimus ; & ſi ſexcenti ſint qualitercumque, & quomodocumque, atque ita praevaleat aliquando malitia contra ſapientiam , quae defenſorem Deum nacta eſt ; conſcientiae puritas mihi ſufficit (1), quae ſibi conteſtem omnia luſtrantem oculum elegit , quem hominum nemo latere poterit unquam , & quem ultorem in huiuſmodi ſperat (Deus enim ultionum Dominus) ſimul vero & conſolatorem. Oportet eos , qui non omnino temere currere elegerunt , non ad ea, quae ſunt heic, inhiare tantum, ſed ad futurum incorruptum iudicium reſpicere. Haec quidem in cauſſa praecipue fuere cur huiuſmodi litteras ſubſpectas habuerim. Sed enim ego & ita paratus eram ad clariſſimum Senatum accurrere, & profectionis iſtuc ab illo facultatem accipere , tantum iniuriae exceſſum quomodocumque non ferens ; quia non aliter hoc conſequi po-

(1) *Horatius*:

—— Hic murus aheneus eſto
Nil conſcire ſibi , nulla palleſcere culpa.

Ovidius:

Conſcia mens recti famae mendacia ridet.

Danthes :

Se non che coſcienza mi aſſecura ,
La buona compagnia che l' uom francheggia
Sotto l' usbergo di ſentirſi pura.

poteram quam litteras oſtendendo ; ſed quod noſtro Principatui parcerem, & communiter noſtro infeliciſſimo generi, cohibui me ipſum ab impetu opus adgrediendi. Habui enim me aliter in iis, in quibus omnino cachinnos tollerent ii, qui traducunt noſtra tamquam inconſtantia & nihil ſanum habentia, qui omnem rei progreſſum audierunt, & Synodorum paulo ante coactarum exitum. Quomodo vero curentur huiuſmodi, & quomodò de cetero huiuſmodi non contingant, huiuſmodi, inquam, litteras non confingi, & quaſi ſubſcriptione Patriarchica ſignari ; inſuper vero, & quomodo ego extra omnes inſultus de cetero maneam, veſtra omnino cura erit, ſacra & a Deo congregata Synode. Veſtrum, dico, Patres divini & religioſiſſimi, qui huiuſmodi curam a Deo in vobis ſuſcepiſtis, praeſertim vero in ita certiſſimis argumentis. Si vero & nos vobis ſiſti iudicatum fuerit, fiat tantum de hoc ad clariſſimum Senatum relatio, & litterae hoc poſcentes mittantur, ut facile nobis hinc profectionis venia concedatur ; & nihil cunctantes, veluti alites quidam, Deo favente, ad vos contendemus. Nihil enim umquam ipſi veritati, & Eccleſiaſticae neceſſitati praetulimus, neque praeferemus. Salutamus vero iterum

rum vos omnes cum omni reverentia, ſalutatione in Domino, & ſuppliciter precamur, ne nos veſtris litteris indignos puteris, & eorum, quae a vobis decreta fuerint, quam ociſſima ſignificatione. Conſervamini mihi de cetero in omni bonorum progreſſu, & Dei beneplacito, Patres & Fratres in Chriſto reverendiſſimi & honoratiſſimi, & coordinetis Domini dextra omne, quod Chriſti Servatoris noſtri Eccleſiae conducibile eſt, & quam maxime utile. Sanctae vero, & Deo exaudibiles orationes veſtrae nobiſcum ſint, Amen. Patavio, Pyanepſionis XVIII. anno ſalutis MDLXXXXII.

Sancto & ſapientiſſimo Hieromonacho Domino Meletio Blaſto Maximus Margunius humilis Epiſcopus Cytherorum. (1)

NAtura comparatum eſt ut impetus minime contineri poſſit, & maxime quando huius inclinatio ad bonum fertur. Tali profecto cuidam meam, ni fallor, animae audaciam quis ſimilem

(1) Quum *Margunius* alia Epiſtola *Blaſtum* rogaſſet ut negotium & cauſam ſuam ſuſciperet, atque foveret; ut ei alios ſtimulos addat, inſequentes etiam litteras ſcribit.

lem reputans non erraverit. Si vero bona ipſa per ſe laudabilia ſunt, neque ad haec impetus omnino deponendus eſt, ſed magis omnino ſtudio dignus, & his, qui recte iudicare norunt, acceptabilis; videare utique aliquid dicere idoneum in patrocinium turbationis a me profectae, ne ipſe videar aliquis levis eſſe, & vanus, & antiquitatem olens, & generaliter curioſus. Ego quidem arbitror non aliter ſeminare ſuper petras, neque aerem verberare, quod dici ſolet, in huiuſmodi incumbens, & a tali commentatione & ſtudio omnino dependens. Tuum vero erit iudicare bene ſit, nec ne, frater in Chriſto ſanctiſſime, & ſapientiſſime. Perſuaſus autem ſum te meo propoſito ſuffragaturum eſſe, & omnimodis negotio patrocinaturum. Si vero hoc, quum vehemens & ipſe ſis bonorum amator, prope ad opus alas adſumes, & vitam non vivendam exiſtimabis, niſi ipſa, reſpondens quorumdam utrinque ſtudio, finem conſequatur. Sin vero minus, & hoc in nobis fiat. Hoc autem pariter quis utique amans legitime adſequatur, & ſi non omne, neque ſupremum, vincat; medium igitur, imo & infra illud ſexcenties utique eligat adipiſci. Deſiderantis enim aliquid fieri, ſi non fiat, non eſt prohibere hoc,

ſed

ſed non omnia facere ut fiat. Eſt igitur negotium neque eorum, quae ſuſcipi nequeunt, ob exitus dudum ambiguitatem; neque quod tuam Dei & proximi amantem poteſtatem, modo velis, exſuperet; ita ut ipſum per ſe, & ex iis, quae illud circumſtant, facile ſuſcipi poſſit, & incuriae ſit, vel modicae caritatis ſignum, ab operando ſuperſedere, ut nullus inde ei, qui omne ſtudium circa ipſum non adhibuerit, ſpecioſus praetextus relinquatur. Ita ego circa hypotheſin diſpoſitus ſum. Neque alia meliora per Mercurium & Muſas, magis vero per ipſam erga Deum dilectionem, proſpexeris, ut & hic meritas laudes conſequaris, & beatitatis quae ibi eſt particeps fias. Sanam cuſtodiat Dominus Sanctitatem tuam anima & corpore, ſanctiſſime frater.

Venetiis die XIII. Septembris anno a Servatoris noſtri incarnatione MDCI.

Sancto & ſapienti Hieromonacho Domino Meletio Blaſto, Maximus humilis Epiſcopus Cytherorum (1) *bene agere* (2).

QVomodo res noſtrae ſe habeant, interrogas? Miſere admodum, ſive privata, ſive communia cognoſcere velis. Conſenuimus enim multum iam in

(1) Praeter ea quae ſuperius *pag.* 204. de Cytheris obſervavimus, memorandum quoque eſt eſſe in iis, Monaſteria Latini, & Graeci ritus, quae Hieromonachi & Calogeri incolunt, atque inter alia Monaſterium S. Ioannis de Crypta, ut memoria prodidit *Io. Baptiſta Moro in Memorabil. Philoſophorum*.

(2) Annus iam MDCI. vertebat, & *Maximus Margunius* prope octogenarius, quum Venetiis verſaretur die VII. Iulii *Meletio Blaſto* Hieromonacho, & amico ſuo fido, ut ſuperius vidimus, ſcribit, ſuum morbum, & perſequutiones, quas patiebatur, querens; & opem ac praeſidium implorans. Nephritide enim laborabat adeo, ut mortuus potius, quam vivens videretur. Altius eius animo infixum erat, miſereque eum coquebat, quod Epiſcopi alii ei inſultarent, & tamquam a recta dogmatum ſemita deflectentem, accuſarent; quod late ſuperius & luculentius patuit; Sed vere eos a regia via aberrare ipſe clamat, doletque ab eis ſanam doctrinam derelinqui, alienos mores, & turpe lucrum ex ignorantia ſectantibus. Verum id totum & dilucidius ex ipſa Epiſtola patebit.

in immedicabili morbo, qui Nephritis ab Aſclepiadis (1) adpellatur, tantumque ut vivamus, nobis concedit; cetera vero ita ſuperamur innaſcentium nobis dolorum exceſſu, ut paullum a mortuis differamus. Illum igitur volentes nolentes ferimus; totum Dei de nobis providentiae committentes; & exiguam multorum noſtrorum peccatorum purgationem morbum putantes. Argumentum enim Dei erga nos benevolentiae etiam huiuſmodi purgationes. Hoc vero propter duritiem corpuſculi, & infirmitatem. Sed enim haec nihil ſunt comparatione communis generis infortunii, & infortuniorum maximi. Avolaverunt, heu, a nobis bona, & habitare apud nos minime ſubſtinentia, cum iis, qui ea adſectantur, licet alieni ſint, & manent & converſantur. Eſſet vero utique malum non adeo malum, ſi pars aliqua nobis ſcientiae relicta fuiſſet; ſcientiae, inquam, quae devovetur, circa noſtrorum dogmatum conſervationem & ſeveritatem (2). Nunc vero praeter alia

 mala,

(1) Hoc eſt Medicis, quaſi Aeſculapii filiis.

(2) Graecorum recentiorum ignorantia maxima eſt; & hanc non ſemel exaggerat *Margunius* noſter, ut etiam ſuperius *pag.* 116. videre eſt; cuius inibi verba ad miraculum illuſtrantur verbis

Ano-

mala, etiam rerum opportuniorum iactura periclitamur, quod abſit. Inſultant multi etiam ex iis, qui inſignioribus ſacri Chriſti ovilis dignitatibus decorantur, aliena canentes fiſtula, multum acetum delectationi admiſtum habente, & conſuetas leges contemnentes, profugum extra terminos tollunt pedem, quaſi & apud nos umquam genitos fuiſſe odio habeant. Et unde haec miſeranda? Viri decrepiti in Antiſtitum ordine conſtituti, quibus paſtoralis animarum cura commiſſa eſt, nulla vultus verecundia, nullo conſcientiae indicio, ſponte ſua alienis moribus accedunt, venalem prope pietatem facientes

tes

Anonymi Galli Hiſtoriae Aegei, ſeu Archipelagi, ſcriptoris, quae ſuperius produximus *pag.* 246. Eadem ferme ſcribit *Nic. Bergius* Libro *De Statu Eccleſiae & Religionis Moſcoviticae* his verbis de Monachis Ruſſis loquens: *Plurimi ſunt indocti ſimplicitate, & ſtupiditate celebres; & de his non minus ac de pleriſque Ruſſis e plebe verum eſt hodieque, quod* Clemens Adamus *dixerat:* Orationem Dominicalem decimus quiſque haud novit. *Pauciſſimi decem praeceptorum habent notitiam, credentes hanc ad dominos, & primarios Eccleſiaſticos, non vero ad ſe ſpectare.* Orient. Kirchenſtat *etiam teſtis eſt, ignorantiam hanc apud Graecos quoque Monachos regnare.* Vide inferius Epiſtolam inſequentem *pag.* 344. *Theodoſius Zygomalas* in Epiſtola ad Cruſium iſthuc ipſum fatetur, ſed eorum ignorantiam quomodocumque excuſat.

tes (1). Et quis non dixerit haec ignorantiae fructus eſſe? Magis vero etiam extenſa eſt; quod non debemus, una cum ſtultitia nutrimur. Et quomodo haec Graecorum, qui olim ſapientia excelluere? Quomodo eorum, qui venerari Deum, ut oportet, praecipiunt? Quomodo eorum, qui recta dogmatum conſtitutione maxime glorientur? Erubeſcimus hec profecto; debemus enim: magis vero ſupereſt ut multum lugeamus, quia malum conſolationem non admittit, ſi noſtri officii defectu huiuſmodi permanere compellitur. Itaque quoad fieri poteſt liberationi proſpiciemus, ſi, (& ſolum elegerimus), gravem conſcientiae ſarcinam aliquando excuſſerimus; & eius, quae melior eſt, electionis & ſortis fuerimus. Quis vero erit aliquando modus, & quae machina reperie-

(1) Neſcio an his *Marguniur* perſtringat eos, qui e Graecia diſcedentes in Italiam, Germaniam, & Gallias proficiſcuntur, earumque urbes percurrunt, pecuniam corrogantes, quorum pluria exempla adducere poſſem: & eos etiam, qui Romam ſe conferunt, litteris operam in Collegio Graecorum navandi gratia; & qui ubi in Graeciam reverſi ſunt, doctrinis, quas Romae hauſerunt, abutentes Eccleſiae Romanae hoſtes omnium ſunt infenſiſſimi, ut teſtatur *Anonymus* Gallus citatus, qui in Graecia XX. annorum ſpatio verſatus fuerat.

rietur? Et facillimus omnino tranſitus quaeritur noſtrae cogitationis a peioribus ad meliora. Licet vero nobis, etenim hoc liberi arbitrii poteſtas, poſt ſupernam gratiam voluntatem noſtram praeparantem (1) & conſequentem nos ad bonorum ſucceſſum, hoc etiam maxime perficere. Excogitetur modus, exerceatur pro nobis dilectio adverſus Deum & proximum. Inveſtigetur pauliſper reconciliatio ſcientiae cum perditione, ne & de hoc accuſemur apud incorruptum iudicem, qui noſtra & in ipſis medullis, ut ita dicam, perquiſiturus eſt. Noſtra vero erit omnino, eorum, qui in ſeipſos curam medendi animas adſumſere, ſcrutatio. Concauſas adtrahimus ſimul eos, quibus divitiarum potentia eſt. Quod igitur a nobis quaeſitum eſt, in inſcripta a nobis vulgari dialecto ad patriae commune, exhortatione (2) etſi non pro dignitate, praeſtitimus. Veſtrum vero erit deinceps conſiliis a nobis procedentibus debitum exitum dare, & praeparatam materiam ve-

(1) Videtur *Margunius* circa Dei Gratiam non ſecus ac D. *Auguſtinus* ſentire.

(2) Huius *Margunii* operis mentio a nobis facta non fuit in *Praefat. ad Par. II. Epiſt. Glycae*, nec ab ullo alio, quod ſciam: niſi potius Epiſtola fuit, quam opuſculum, ut ex litteris inſequentibus patet.

venuſtate indumenti formare, praedicationis virtute, privato & communi conſilio, exhortatione ad opus, propter futuram ex hoc, quantam haud quis eloquio ediſſeruerit utilitatem, Deo adnuente, & quibuſcumque aliis modis a Deo illuminati fueritis. Per ſanctam ipſam Trinitatem, per pietatem adverſus Deum, vicem rependite promeritae ſenectuti; lapſam quoad fieri poteſt erigite; auxiliamini miſero generi, & copioſas habebitis a Deo de his & nunc, & in futuro retributiones. Sanam cuſtodiat Dominus Sanctitatem tuam ad animarum & corporum utilitatem.

Venetiis die VII. Iunii anno Salutis MDCI.

Idem Eidem (1).

NOvi tibi curae eſſe hypotheſin, & neque praeter propoſitum credere conatum, ad neceſſitatem & finis utilita-

 tem

(1) Quum vero *Maximus* ſuae gentis ignorantiam adhuc deploraret, & malis tantis remedium quaereret, *Meletio* ſuo iterum ſcribit hoc anno eodem die XIII. Auguſti, ſuae in patriam reverſioni conſulens.

tem reſpicientem. Sed quando mihi hoc ſimul in mentem venit, & timeo ne negotium negligam, & de tantis rebus poenas dem, ecce Sanctitati tuae ſecundas litteras ſcribo, quaſi animam ipſam eis imponens, & ignotam huius diſpoſitionem oſtendens. Noſti ſine ſcientia non conſtare fidem, (1) quam ante omnia alia exigimus; & fides per dilectionem operatur. Quibus duobus veluti quadam ſervatrice biga utentes, ad fruendum aeternis bonis deducimur (2). Nunc vero propter ſcientiae abſentiam (3), omnia noſtra effluxere, & quae adſunt, prope abſcedere periclitantur, corrumpi videlicet. Hoc autem non exiguum, & ſi aliter exiguum, ſi ei, quod prius erat, comparetur. Videlicet excogitanda eſt cura, ne utroque poplite, iuxta illud Propheticum, claudicemus, & a via illuc ferente aberremus. Parata vero ſit cura ſecundum rationem noſtram, quam paulo ante per noſtras litteras patriae communitati ad communem, & propriam ſanctitatem ſignificavimus. In votis habebam etiam eſſe vobiſcum

(1) Hoc eſt fides Chriſtiana ab his, qui ſcientia pollent, ſubſtinetur atque ſarcta & tecta ſervatur; aliter errores in eam irruunt.

(2) Bene & ſapienter dictum.

(3) Vide ſuperius pag. 339.

biſcum ; & operis ſecundum latitudinem percurrere perfectionem, & ſimul pro virili ad exitum reperiendum laborare. Quoniam vero hoc impoſſibile (1), per philtra ipſa, & per pietatem adverſus Deum, Sanctiſſime frater, lingua noſtra tranſmitte haec quae a nobis proveniunt, & quaecumque meliora a te ipſo inveneris populo Chriſti amanti. Mala magnum introitum minantur, & bona cedunt invita. Temporalium eſt periculum, & caput impudenter attingit. Tamquam primitias quaſdam Deo noſtras voluntates obferemus. Si en'm nos adhuc loquentes occupat, & adeſt manum porrigens, quanto magis proteget eos, qui per opera ipſa conſilia exſequi conantur; & ad deſideratum finem nobiſcum adducet, ne minus ſit eius qui ſemina dat, quam eius qui quod rectum eſt cooperatur. Dico quid breviter? En tibi maxime concutitur benignae expectationis anchora: tuam operationem requirit fidei protectio, & omne reſtituetur. Illis vero, qui negligunt ea, quae animis conducibilia ſunt, ipſam in ſe curam adſumentibus,

(1) Tamdem tamen *Margunius* in patriam Cretam rediit, & ibi anno inſequenti mortuus eſt. Conſule *Praefation. in Par. II. Epiſtol. Glycae.*

tibus, quantum immineat periculum, tuam magnam intelligentiam non fugit. Sed ne talis ipſe ſis multorum gratia. Sanam cuſtodiat Dominus ſanctitatem tuam, frater in Chriſto ſanctiſſime. Venetiis die XIII. Auguſti anno a Domini noſtri Incarnatione MDCI.

Idem Eidem (1).

MIraberis, arbitror, forte & ex prioribus, quas dedi, litteris, idoneum me eſſe occultare meae ſententiae promptitudinem ad declaratam iam hypotheſin, & alis inſtruere tuam ſacram animam ad huius amorem; poſterius vero, magis multiplicans haec, quae forte heic tibi gravia, ſuperfluus eſſe videor. Sed ſi mihi adeſſes, & una contemplareris ea, quae quotidie eveniunt ad noſtri generis ignominiam, forte utique & fontes lacrimarum

(1) Rurſum *Margunius* ſcribit *Meletio* ſuo, eumque dicit idoneum ad mala, quae deplorat, cohibenda; quare eum hortatur, ut re ipſa illa impediat avertatque, & alas ſibi opem laturus ad hoc opus adſumat.

rum effunderes, compaſſionem oſtendens, & multas male perditarum ovium, figura tamen, deplorares, & me prope accuſares, quod Epiſtolarum faſciculos non mitterem; ſiquae utique ex his in tanta calamitate curatio futura eſſet. Semel enim quidam quum ad opus depuduerint, veluti oves, quae paſtoribus carent, in praecipitia ſponte feruntur. Et res quidem tolerabilis eſſet, ſi de corporeo periculo ageretur; nunc vero de anima illud currentes, & hoc duplex habent, quia & ſibi ignem accendunt, & aliis per ea, quorum eos non pudet, quanti periculi cauſae ſunt? Vel ob ea tantum, quae agunt, pudore ſuffundi debent, & reſipiſcentiam quamdam habere. Quia quum ſemel a recta via aberraverint, quamquam aliquis meliora monens ipſis conſulat, & ſalutaria conſilia praebeat; & qui talia ſuadent averſantur; & inimicos eorum, quae ipſis maxime conducunt, conſultores putant. Vides quo noſtra devenere, & nos ſumma calamitate adfligi, itaut neque lamentari nobis de his cum exceſſu liceat? Si enim facultatum, ſi vitae huius temporariae & laborioſae, vel alius cuiuſcumque, praeter animam, damnum eſſet, forte eſſet & labor miſerandus, & triſtitia conſolatione aliqua leniretur. Vbi vero animae

mae damnum, & tanto maius, quanto & in peius intentione tendit; ita ut anguſtam & tritam viam a ſeipſis excutientes ii, qui hoc iter ingredi iubentur, ſpatioſo loco incedentes, dedititios ſeipſos praebeant; quae nam unquam fuerit in huiuſmodi malis conſolatio; niſi aliquis alter excitetur Phinees divino zelo incenſus durius diſſecans talium voluptatem, & iure incontinentiam compungens? Niſi aliquis eodem modo zelotes Elias Sacerdotes turpitudinis comburens interimat? Et ut aliquid familiarius dicam, niſi quis iuxta divinum Paulum audeat, & anathema a Chriſto eſſe pro ſpiritalibus fratribus exoptet, & inflammetur pro his, qui ita ſcandalizantur, vehementer, & ſectione gladii divini ſermonis uſus, quamdam infortunio conſolationem inveniat, & inordinatum horum impetum, Deo opem ferente, abunde cohibeat, & ad meliora revocet? Talem ego novi Meletium unanimem fratrem; non minus bonorum zelo, & eorum, quaecumque maxime ad pietatem adverſus Deum adducunt, ardentem; & qui poteſt per eam, qua divinitus ditatus eſt, gratiam, & abiicere paleam, & bonam terram arare, & ſpiritalis agriculturae ſcientia affabre colere, & bene omnino ſemina committere, & ad incre-

cre-

crementum excitare ſpiritus irrigatione, & copioſam foecundamque ſpicam explicare, qua animae ſaturatae omne venenoſum & noxium refugiant (1). Et per ſacra eloquia, magis vero per ipſam erga Deum caritatem, frater in Chriſto ſacratiſſime, quum talis ſis, talis etiam re ipſa adpareas, prohibeaſque quatenus in te eſt, mali huius gangrenam & contagionem, & protegens pietatem oppugnatam, ſeu potius periclitantem, adſume tecum & alios horum bonorum ſuſceptores, & alas animis apta ad id, quod Eccleſiae communitati utile eſt, & copioſas omnino habebis etiam propter hoc a remuneratore divitias largiente retributiones. Novi te hoc facturum tuae dignitati, & obedientiae, quam in huiuſmodi Deo debes, & voluntati promtiſſimae, convenienter. Sanum te cuſtodiat Dominus anima, & corpore, fratrum in Chriſto ſanctiſſime & ſapientiſſime. Venetiis die XXII. Auguſti anno ſalutis MDCI.

(1) Simili allegoria Epiſtola ad Meletium, quae ſuperius *pag.* 287. producitur, contexta eſt.

FINIS.

ADmodum Reverendus Pater D. Octavius Ruſtici Ven. Congregationis Caſinenſis Philoſophiae, & Sacrae Theologiae Profeſſor, attente perlegat Librum hunc, cui titulus *Deliciae Eruditorum, ſeu veterum, &c.* & videat ſi quid contineat, quod bonis moribus, & Chriſtianae Fidei adverſetur, ac referat.

Dat Kal. Auguſti 1740.

Iulius del Riccio Vic. Gen.

LIbrum, cui titulus *Deliciae Eruditorum, &c.* ut mihi eſt demandatum, attente perlegi. In eo quod Fidem, aut mores laederet, offendi nihil; plura vero utilia aeque, atque iucunda paſſim inveni: dignum itaque cenſeo, qui typis mandetur, in quorum fidem, &c.

Ex Abbatia Florentina die 15. Auguſti 1740.

D. Octavius Ruſtici Mon. Caſinenſis in eadem Abbatia Philoſoph. & S. Theolog. Lector.

Attenta ſupradicta relatione imprimatur.

Iulius del Riccio Vic. Gen.

ADmodum Reverendus Pater Theologus Thomas Maria Griſelli huius Sanctae Inquiſitionis Conſultor videat, & referat.

Ex AEdibus S. Officii Florentiae 18. Auguſti 1740.

Fr. Franciſcus Antonius Benoſſi Min. Conv. Vic. Gen. S. Off. Florentiae.

IVſſu Reverendiſs. Patris Pauli Antonii Ambrogii Generalis Inquiſitoris attente perlegi Librum, qui inſcribitur *Deliciae Eruditorum*, *&c.* ipſumque dignum cenſeo, qui publica luce donetur.

Datum Florentiae in Collegio D. Marci Ordinis Praedicatorum Kal. Septembris 1740.

Fr. Thomas M. Griſelli in ſuprad. Collegio Sac. Theolog Profeſſor, & S. Inquiſ. Theologus Conſultor.

Attenta ſupradicta relatione imprimatur.

Fr. Franciſcus Antonius Benoſſi Min. Conv. Vic. Gen. S. Off. Florentiae.

Carolus Ginori pro Reg. Celſ. vidit.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

MAG 200 025

Digitized by Google